Poeti lat. mod

6
19-6
46

6
17 D
14

6-28-9-25
~~6-17-1-16~~

ANTONII ALEXII NEAPOLITANI.

HYMNORVM:

Libri Quatuor.

QVAE IN TOTO OPERE habentur, in ſequenti Pagina videri poterunt.



BIBLIOTECA
ROMA

ROMÆ
Apud Vincentium Luchinum.
M. D. LXV.

INDEX EORVM QVAE IN TOTO OPERE HABENTVR.

Quæ in Primo libro.

Dedicatio Operis, ad PIVM IIII. Pont. Max.
Ad Lectorem Epigramma.
De Mundi Opificio ad CHRISTVM IESVM. fol 1
Hymnus ad Virginem DEI Matrem. fol. 15
Hymnus ad Diuum Ioannem Baptiſtam. fol. 17
Hymnus in Diuos Petrum, & Paulum Apoſtolorum principes, ad Paulum Alexium filium. fol. 18

Quæ in Secundo libro.

Dedicatio, ad Sereniss. Principem Hieronymum Priolum, & Illuſtriss. Senatum Venetum. fol. 21
Hymnus ad Diuum MARCVM Euangeliſtã fol 22
Hymnus ad Diuum Hieronymum. fol 23
Hymnus ad Diuum Dominicum. fol. 25
Hymnus in Diuum Thomam Aquinatem ad Illuſtriss. Cardinalem Aragoneum. fol. 26
Hymnus in Diuam LVCIAM, ad eundem Illuſtriss. Cardinalem Aragoneum. fol. 28

Quæ in Tertio libro.

Dedicatio, ad Illuſtriss. D. Alphonſum Carrafam Cardinalem Neapolitanum. fol. 30

Hymnus ad Diuum Ianuarium, Neapolitanorum patronum, qui dicitur sacra Pompa. fol.31
Hymnus ad Diuum Aſpren, primum Neapolitanorum Antiſtitem. fol.34
Hymnus ad Diuum Seuerum Neapolitanorum patronum. fol.35
Hymnus ad Diuum Athanaſium Neapolitanorum patronum. fol.37
Hymnus ad Diuum Agrippinum, Neapolitanorum patronum. fol.39
Hymnus ad Diuum Euphrêmum, Neapolitanorum defenſorem. fol.40
Hymnus ad Diuum Anellum, Neapolitanorum propugnatorem. fol.42
Hymnus ad eoſdem omneis Neapolis Patronos. fol 43

Quæ in Quarto libro.

Dedicatio ad Illuſtriss. & Reuerendiss. Annibalem Cardinalem Buxutum, Patricium Neapolitanum. fol.45
Hymnus ad Diuum Antonium Patauinum. fol.45
Hymnus ad Diuum Alexium. fol.47
Excuſatio ad Superos, Ac Neapolitani ſitus deſcriptio. fol.50

FINIS IND.

ANTONII ALEXII
NEAPOLITANI.
HYMNORVM.
LIBER PRIMVS.

AD PIVM IIII.
PONT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SANCTE Pater, triplici frontem redimite Tiara;
Qui celſus Tyrio tolleris in Solio.
Qui ſacra Sceptra tenens, Diuinis concutis Orbem
Imperijs, CHRISTI munia quique geris.
Quid mœſtæ potuit Romæ contingere maius?
Quid triſti Latio? quid miſeræ Italiæ?
Quidúe Gregi ſacro melius? quid denique Petri
Fulctiuagæ Puppi, retibus ac laceris?
Quàm te hominũ vidiſſe Patrem, vidiſſe medentē
Cæleſtem Medicum, Pontificemque PIVM.
Quem Pater omnipotens, in tanto turbine rerum,
Præſidium afflictis gentibus eſſe dedit.
Scilicet vt poſſes damnis occurrere noſtris,
Et victor tantis ponere fræna malis.

Scilicet vt Pelagi fluctus ſedare tumentis,
Ne Sanctam exurgens ſorbeat vnda Ratem.
Pythonem, afflatu potuit qui perdere ſæuo
Europæ gentes, vt ſuperare queas.
Sternere & horrendū Mōſtrū, immanemq́ Chimæ (ram,
Mole vt preſſa graui corruat inde ſua.
Nanque animi vis illa tibi, ſpectataque Virtus
Fulget, & antiquæ Relligionis honos.
Vnde Almam rediſſe Fidem lætemur, & aurea
Iam reuocata tuis ſecla ſub auſpicijs.
Et penitus ſublata feri tot murmura belli,
Et tandem laſſos otia grata ſequi.
O quàm te felix Inſubria iactat Alumnum,
O Decus, O Patriæ Gloria prima tuæ.
Nam tua ſit titulis quanquā Domus aucta ſuperbis,
Atque opibus largè, diuitijsque potens.
Et tuus innumeros Frater deuicerit hoſtes,
Retuleritque nouis clara Trophœa modis.
Vnde illi æternum viuet per ſecula Nomen,
Et vaga per terras Fama perennis erit.
Nil tamen ad Solium, tantarum & culmina Rerum,
Et Sacra Imperij iura ſuprema tui.
Iam patet inuictos poſito Diademate Reges,
Proſtratos pedibus flectere colla tuis.
O me felicem, tanto te Principe, vatem:
Tantillum noſtris ſi faueas numeris.

Si faueas votis, humiles nec ſpreueris auſus,
 Atque tegi dederis me Pietate tua.
Sic tu de Solymis, Turcarum & gente Trophœa,
 Et CHRISTO palmas victo Oriente feras.
Sic Deus erranteis reuocare ab ouilibus agnos,
 Et ſinat abductum reſtituiſſe Gregem.
Sic tibi Neſtoreæ concedat tempora vitæ;
 Cunctorum votis quæ tibi fauſta precor.
Denique te celebri, & clara Virtute nitentem,
 Aethereas tandem donet adire domos.
Vnde Gregem CHRISTI purgatū labe maligna;
 Cæleſti referas, reſtituasque Patri.
Salue Sancte Pater, Mundi ſalue optime Rector;
 Quem meritò placida ſub ditione tenes.
Arbiter ò cunctorum hominū Sanctiſſime Paſtor,
 Ingenio præſtans, Iudicioque grauis.
Accipe votiuas deductam carmen ad Aras,
 Et Superûm laudes quas pia Muſa canit.
Quas tibi nunc humiles ſacramus poplite flexo,
 Nos pedibus dantes oſcula mille tuis.
Siquid erit fortè in noſtris delebile chartis,
 Tranſuerſo calamo perlinat atra nota.
Vt quamuis leue ſit carmen, ſine labe legatur,
 Atque tua noſtrum Voce probetur opus.

AD LECTOREM

EPIGRAMMA.

EXIGVVS liber eſt (vt cernis) candide Lector;
Eſt tenue ingenium, paruaque vena mihi.
Inuenies non tu grandem diſponere verſus
Hîc Sophiam, & magno carmen hiare ſono.
Nec mihi nunc Famam cupio protendere terris;
Nec quæro his ſcriptis viuere poſt cineres.
Hæc mihi Relligio dictauit Sancta, Fidesque,
Et Pietas numeros officioſa meos.
Perlege inornata tu condita carmina Muſa;
Quod placitũ eſt Superis, quod placitumq́. Deo.
Illi opus eſt gratum ſinceri pectoris, ille
Et quicquid pura ſcribitur arte probat.
Hoc quoque tu facias, ſimilis ſic ipſe Supernis,
Et Magno ſimilis ſic eris ipſe Deo.

AD CHRISTVM IESVM.

HYMNVS. I.

SAT molles luſi cantus, florente iuuenta;
  Sat numeros cecinit Muſa iocoſa leues.
Non luſtrare vagis nunc Mens Helicona Camœnis;
  Sed canere inſolitis carmina ſacra modis.
Ergò ades, ô triplici qui Numen diceris vnum
  Nomine, qui Pater es, Natus, & almus Amor.
Tu rege me pauidum ſulcantem incognita vatem
  Aequora, & exiguæ dirige vela ratis.
Vos quoque, Cælicolæ, mentem inſpirate canenti,
  Vos eritis Phœbus, Pierideſque mihi.
Pandite nunc alios fonteis (non Phocidos antra
  Quærimus, aut ſaltus Theſſale Pinde tuos.)
Queis valeam ſummi Sponſam, Natumq. Tonantis,
  In votis faciles vos celebrare meis.
TE PRIVS æternæ, Superûm Rex ſumme, ſal tis:
  Atque hominum vindex, maxime CHRISTE, canã.
Progenies qui vera Dei, ſapientia Patris,
  Mens eadem, è ſummo lumine lux eadem,
Aeterni facies, & certa Parentis imago;
  Quiq́ue Dei VERBVM es, verus & ipſe Deus.
Iam per te quodcunque latet, quodcunque videtur,
  Supremum conſtat cuncta creaſſe Patrem.

Hinc igitur vaſti repetam primordia Mundi,
Quandò opus ad laudes pertinet omne tuas.
PRINCIPIO Cælum,ac Terras effinxit,in vnum
Omnia & immenſò contulit Orbe Deus.
Tunc lumen micat,atque Diem tunc lumina dicit,
Tunc Noctem obſcuras eſſe iubet tenebras.
Digerit hinc rerum formas,& rurſus amico
Fœdere quæ fuerant diſſociata ligat.
Nanque ignis leuitate ſua loca celſa petiuit;
Proximus huic Aer, iunctaq́ue Iuno Ioui eſt.
Tunc quoq pendentem librauit pondere Terram,
Orbis in extrema quæ regione ſedet.
Et Moles paſſim effoſſis rimoſa cauernis,
Ingens immenſo cingitur Oceano.
Cardine tum magnus gemino protenditur Axis,
Hunc nos, aſt illum Styx videt atra Polum.
Arcticus eſt dictus nobis,Antarcticus alter,
Hos circum Mundi Machina tota rotat.
Mox placuit ſalſo ſecernere flumina Ponto,
Arentem dulcis queis leuet vnda ſitim.
Vnda tamen,Cæli Nonum quæ conficit Orbem,
Chriſtalli,eſt ſolida,ac lucida dicta domus.
Et iuſſit vario ventos diſcurrere tractu,
Quum vapor è terris Aera ductus agit.
Hinc rapidis Aurora emergit flatibus Eurus,
Oppoſita hinc Zephyrus ſurgit ab Heſperia.

At gelidus Boreas Scythicis irrumpit ab antris;
Sedibus è medijs peruolat inde Notus.
Ille vapor calido ſublatus in Aera Phœbo,
Quod graue, quod craſſū eſt, id loca prima tenet.
Nec ualet infirmis conſcendere viribus altè;
Hinc abit in rorem, hinc cana pruina cadit.
Humidus hic etiam, Cæli quum frigida tranat
Regna, & Solis egens ipſe calore riget.
Qui primum inſinuans ſe ſe diffundit in auras;
In ſe collectus, ſoluitur inde liquor.
Tunc pice fit nigrius Cælum, & pluuialibus vndis
Diffluit, hinc altè flumina magna tument.
Horreſcunt tunc concretæ nubes, gelidique
Deſcendunt imbres, ſunt iuga plena niue.
Halitus ille leuis, qui obductus nubibus atris,
Aridus à denſis nubibus opprimitur.
Carcere & ut clauſus, pertentat limina vibrans;
Verberat hunc nubes; prælia magna cient,
Intonat hinc Cælum, fragor hinc, hinc ille coruſcus
Proſilit in flammas, hinc tonitruſque ſonant.
Aridus hic etiam, ad ſedes quum pertinet ignis,
Iam victor ſuperans frigora, & ipſe potens.
Igneus & factus, vaſtum per inane vagatur,
Illinc & formas cernere dat varias.
Nam modò dat lapides, modò Cælo igneſcere trun-
Nunc ruere ex alto ſidera clara polo. (cos,

Hinc variare vides fatalem ſigna Cometem,
  Cui modò ſunt crines, nunc ſibi cauda rubens.
Gramine mox voluit formoſa vt Terra niteſcat,
  Et paſſim truncos proferat arboreos.
Ac varios fœtus, diuerſaq́ue ſemina fundit,
  Vt valeant ſpeciem reddere quæque ſuam.
Tum voluit Cælum Solis ſplendeſcere flamma,
  Aurora roſeis hunc præeunte rotis.
Fit Phœbo inferior Phœbe, quæ lumina nocti
  Præbeat, & cæcis fulgeat in tenebris.
Quæq́ue ſua non luce micat, ſed lumine fratris:
  Hinc variat formas, mutat & illa vices.
Tum grandeis alias, errantes quæ ire videntur,
  Diſponit ſtellas, curſibus imparibus.
Vt vehat, obliquis circundans greſſibus Orbem,
  Sidera biſſenis Faſcia imaginibus.
Solis vt anfractu duodena hæc ſidera menſes
  Diſiunctos ſtatuant quattuor ordinibus.
O qui nunc propius ſtellarum cerneret Orbem,
  Qui triplici motu nobile pergit iter.
Quàm pulchro aſpiceret donari munere Cælum,
  Aſtrorum fixis, flammigeriſq́ue globis.
Vt Stellis ornata nouem inter ſidera Virgo
  Aſtræa, æquatis lancibus ipſa micet.
Stetq́ue etiam vt Cælo, Diuûm venerabilis Ara,
  Qua damus in terris thura adolenda focis.

Vt niteat Cynoſura; vt ſeruet plauſtra Bootes;
  Atque polo vt iam iam Caſſiopea ruat.
Cerneret immani Alciden certare Draconi;
  Phœbigenæ Colubrum, Telaque Phylliridæ.
Et Lyram Arioniam, mulcentem ſidera cantu,
  Delphinum aſpiceret tam procul eſſe mari.
E ſyluis Leporem, & Cælo latrare nitentem
  Lelapa, & ardenti feruere in orbe Canem.
Atque ſacri Fontis, mea cura, ut crinibus aureis,
  Non fræna, at volucer ſidera mandat Equus.
Aſt ego, nec rutilos ignes, qui corpora formant,
  Nec reliquas formas nunc memorem varias.
Præterea, innumeri tenuerunt æquora Piſces.
  Et volucres pennis Aera percutiunt.
Inde Feræ Syluis, habitantque in montibus Apri.
  Mite pecus paſſim paſcua rura colit.
Iamque Orbis conſtructus erat, iamq. omnibus iſtis
  Terra ferax, vitæ certa alimenta dabat.
Tum Deus optatum cupiens imponere finem,
  Atque opere exacto ſumere iam requiem.
Humani primum generis formauit Adamum,
  Et Pater è rubro fingitur ipſe luto.
Vilis humus fuerat; ſed vir tunc viuere cœpit,
  Quum Mentem æterno ſpirat ab ore Deus.
Portio Diuina hæc eſt, qua dignoſcere verum,
  Qua coluiſſe datur, mente, animaque Deum.

Qua rectum,iuſtumq́ue ſequi,non lædere quenquā,
Et firma æterni iuſſa tenere Patris.
EST locus, Eois longè pulcherrimus oris;
Seu fouet in Syrijs terra beata iugis.
Siue hic terrarum toto ſupereminet Orbe;
Hortus pomiferis conſitus arboribus.
Hinc fluit Euphrates; undarum hinc agmine Tigris;
Hinc Phiſon ad Praſios; hinc Gion ad Pharios.
Armeniam ſcindunt primi, Babyloniaq́ue arua,
Iuncoſiq́ue fluunt in maris ora Rubri.
Hîc nitidi Soles; hîc eſt perlucidus Aer;
Hîc ver purpureum, perpetuóq́ue viret.
Hîc non inſano conſurgunt murmure venti,
Sed ſpirans Zephyrus lenia flabra mouet.
Et volucres raris mulcent concentibus auras,
Quum recinunt ſummo carmina ſacra Deo.
Ridet humus;folijs redolent,& floribus horti;
Et Viola,atque Roſa,purpureoq́ue Croco.
Serpillum hîc redolet,Polion, Melilotos,& aurea
Chryſitis,Caſia,hîc Iris & Illyrica.
Narciſſi,& flauum Abrotonum,& ſine morte Amarāthus,
Aſſaron,& gaudet Baccare mollis ager,
HîcHelenæ flos eſt,&Amomum,hîc denique flores,
Quos Hybla,& quales terra Ciliſſa parit.
Vndique fonticuli lymphis funduntur amœnis,
Vnda ſcatens paſſim pulchra per arua ſonat.

Permiſtum lymphis aurum, pictique lapilli;
Gemma virens nitidis fontibus ipſa micat.
Vnde Deum ſibi dicamus finxiſſe receſſum;
Dulcius hoc terris nil poſuiſſe ſolo.
Quod donec recolo, placidus per membra quietem
Irrigat, & ſomnus lumina vincit iners.
Mens tamen ad ſenſus migrauerat alta priores,
Hocque mihi videor me poſuiſſe loco.
Hîc erat in media ruris lætiſſimus umbra
Ille Pater ſenior, maximus ille Deus.
Qualem (ſi magnis componere parua licebit)
Spectamus Quartum ponere iura *PIVM*.
Hunc diuina Dei peragentem munera terris;
Canicies etiam quem veneranda tegit.
Hîc Illum vidi veſtigia ferre per hortos,
Verba quoque & tecum dulcia Adame loqui.
Et dare iura tibi, rerum quum præbuit uſus,
Arboris vt lectæ carpere poma vetat.
Pomiferas inter ſyluas, gemina eminet Arbos,
Quæ latè vmbroſam diues opacat humum.
Ambæ, quæ crocei ſunt preſſæ pondere fœtus,
Quarum vna paſtus, morte miſer premeris.
Hæc nomen Rationis habet, verum altera Vitæ,
Hanc vitam heu perdis tu rationis amans.
Eſt in ſeceſſu nemoris placidiſſima vallis,
Arboribus denſis, gramine, & vber aquis.

Quadrupedum hucgenus omne,huc errantumq́ fe-
Venerat,omne etiam Pennigerumq́.genus. (rarũ
Quam Lacus eſt iuxta,latis ampliſſimus vndis,
In quo ſquamigerum mergitur omne pecus.
Quem cingunt virides fœcundo palmite ripæ
Medorum mali,ac fioris Acidalij.
Quas teneræ pingunt Calthæ, lentæque Geniſtæ,
Ros Maris,atq. Apium,Cecropiumq́.Thymum.
Benaci ſimilis, Minci patris,vnda Maronis,
Benacus Venetis non leue nomen aquis.
HîcPaterOmnipotẽs,Volucres,Piſcesque,Ferasque
Iuſſit ab arbitrio nomina habere tuo.
Ianque alacres totum prætexunt aera Pennæ,
Aſſurgit Domino garrula turba ſuo.
Imprimis Phœnix non dum longæuus, Eois
Venit ab extremis,vnicus ales Arabs.
Qui (mirum)Caſiæ ipſe ſibi,thurisque ſepulchrum,
Cynnami,& arſurum conſtruit ante rogum.
Quem ſuper impoſitus,Solis flammam excitat alis,
Vritur,& cineri naſcitur inde ſuo.
Sacra Ioui venit,roſtrum cui creſcit aduncum,
Nec ſenio,aut morbo,ſed perit illa fame.
Cui ſuccedit Olor,cum quo lis maxima ſemper,
Et magnum Trochilo fit quoque diſſidium.
Rex auiũ Trochilus,qui dum os,dentesq́. repurgat,
Et Crocodilo dum ſomnia grata parit.

Inſcius

Inſcius ipſe parit lethum,per gutturis antrum
  Mittitur Ichneumon,viſcera ſæuus edens.
Ille Olor,immiti gaudens in funere,dulces
  Doctus Apollinea promere ab arte modos.
Aduolat Accipiter,quo non pernicior ales;
  Armiger ipſe Iouis,primus in aucupio.
Ante pedes noſtri aſtabat Philomela Parentis,
  Vt verè à Sophia docta canebat auis.
Et nunc continuo producens ipſa querelas
  Spiritu,& inflexo nunc variata modos
Cantat,conciſo diſtinguens,nunc reuocato
  Tendens,quæ intorto nexerat illa prius.
Mox inopinato commiſcet,murmurat vnà
  Secum,multiplices concipit ore ſonos.
Nanque ſonus noſtras nunc nunc qui fuſus in aures
  Creber,& Extentus,Plenus,& ipſe Grauis,
Ille & Acutus,hic hic modulatu Summus, & Imus,
  Vibrans,& Medius,mox mihi viſus erat.
En,quæ tot calamis homini tribuere labores,
  Hæc facit exiguis faucibus intus Auis.
Venerat ignotis,auium dux pulcher ab Indis,
  Quique honor eſt gentis Pſittacus aeriæ.
Hic Cælo fortè inſtructus,ſic reddere voces
  Lingua hominum cœpit,dulciter ipſe ſonans.
Salue hominũ Princeps,hominũ ſator inclyte ſalue,
  Sis felix, felix ſit tua Progenies.

Tonſoris Graiæ eſt ſimilis quæ Pica loquaci,
  Dixit aue, euge, vxor digna ſit ipſa tibi.
Arriſit Pater, & gaudet, miratur & illam
  Sic paruam, humanum tam bene poſſe loqui.
Acceſſit Pauo, pictis ſpectandus in alis,
  Dum caudam expandens gemmeus ipſe rotat.
Proximus eſt Gallus, qui horas, & ſidera noſcens,
  Erectusque canens, ſomnia noſtra fugat,
Vt lentè ad duros nos arguat ire labores,
  Quem frendens etiam trux pauet ipſe Leo.
Stabant Alcyones, volucrûm turba inclyta, dotes
  Quarum non homines connumerare valent.
Alite tam parua quæ tam ſolertia? nemo
  Certè hominum rara maior in arte foret.
Non durus miles, validam dum conſtruit arcem,
  Vt volucris, fortem conſtruat ille domum.
Quam nec ſcrupoſo ſaxo, nec frangere ferro
  Poſſes, tam miris eſt Pila ſtructa modis.
Eſt piſcis compacta leuis ſic Arcula ſpinis,
  Vt nec aquæ ſubeat paruula gutta Maris.
O dictu mirum, dum natis ſternere cunas,
  Dumque ſtudet partus edere fœta ſuos.
Fœturæ placidis, ſternuntur Marmora lymphis,
  Et tuto æquoreas Nauita ſulcat aquas.
Tunc Mare placatur; tunc eſt tractabilis vnda,
  Nec fera lædit Hyems, Bruma nec ipſa rigens.

Tunc nec Scylla fremit, nec murmurat atra Chary
O Nautis auſpex, ô Cynoſura Maris. (bdis;
Prætereo innumeras Auiumq., Apiumq cohortes;
Nobilis ô quantum hic Grex celebrandus erat?
Iamque recenſerem, ni (credulus omne tenere
Nomen) vidiſſem protinus ire gregem.
Vidiſſem trepidare metu genus omne volantûm,
Aera tranantûm, Strymoniumque choros.
Ipſa volat Perdix, volat ipſa & Galbula, Turdus.
Fugit Itys, Picus Martius, & Merula.
Et Diomedis aues, Meleagrides, atque Columbi,
Arripuitque ſuum quælibet ales iter.
Tunc ego reſpiciens, Spelæa, & valle virenti,
Quadrupedum vidi iam properare greges.
Qui ſtrepitu nimioque pedũ, horriſonoque boatu,
Rumpebant magnis Aera murmuribus.
Ecce ingens Elephas, & rictu, & dentibus ingens,
Quo nullum terris grandius eſt animal.
Sylueſtris ramum ſolers mandebat Oliuæ,
Scilicet impaſto paſtus vt angue recens.
Nutritur qui tantum aura, & quem decolor Indus
Gignit, verſicolor quique ſubinde patet.
Ille Elephas (inſunt quoniam tot corpore ſenſus,
Penè quot humano in pectore) nouit Adam.
Vtque ſuetus erat radianti aſſurgere Soli,
Aſſurrexit Adæ, lotus in Amne prius.

Ecce venit Sonipes,hinnitu qui æthera complet,
  Vngue quatit terram, mox fremit ante Patrem.
Et ſalit interdum,mox præceps currit,ab altis
  Ceu miſſus Boreas montibus Hæmonijs.
Miro agit interdum glomeratos ordine gyros,
  Mox ſiſtit, flexo ſubſilit inde pede.
Venerat & Leo magnanimus,Dominusq́ ferarum,
  Quem non criſpa breuis,ſed Iuba longa tegit.
Cui vis magna oculis,cui vis in pectore ſumma eſt,
  Et cauda erecta, vt ſenſilis auris Equo.
Quid tàm iactatis vos de pietate Quirites?
  Parcit & hic humili,ſæuit & hic tumidis.
Ecce Camelus adeſt, portans duo tubera dorſo;
  En qui dorſo vnum,ac pectore fert aliud.
En repens, ſpiras ſinuoſo corpore Serpens
  Aſper agens,linguis ſibila dira dabat.
Ianque minis dicas hunc contrà inſurgere Patrē,
  Tentator Stygius quem induit inde ferox.
Venerat omne genus pecudum,tutela fluentis
  Vitæ hominum,& victus portio Maior,Ouis.
Iamq́ue Boues aderant,non dum ſubducere ſueti
  Colla iugo,aut duro vertere dente ſolum.
Aegri adeo queis Mortales debere fatentur,
  Vt conſtet Pharios hos habuiſſe ſacros.
Huc aderant validi Vri,Pannonijq́ue Biſontes,
  Veloces Tigres, huc celereſque Canes.

Fortè redit Lepus accepto iam nomine, paruum
Quem vt videre acres, aſpera turba, Canes.
Accurrunt, agitantque feram, aſt illa ocyor Euro
Se rapit in ſyluas, clauſa ſuis latebris.
Hi prædam affectant, hi captant naribus auras,
Impactis glebas vnguibus effodiunt.
Actûtum exiliens Ceruus, mordente Phalangio,
Cui dederat medicas herba ſalûbris opes,
Dictâmo, Ceruus, vix ſano corpore factus;
Nunc auidis rurſus læditur à canibus.
Queis pandæ fluitant aures, queis rictibus ora
Productis horrent, altaque crura rigent.
Quique breui ſunt aluo, & lato pectore, Cymbæ
Sub coſtis ſimiles, Renibus ac validis.
Cætera prætereo, quæ nunc iam dicere tempus
Non eſt, multa Maris nam mihi turba venit.
Oceani & ſeſe offert gens immenſa profundi,
Quam vix aggreſſum, me ferus horror habet.
Eheu quæ mōſtra hæc? heu heu quæ ingētia cerno
Corpora? quæ ora tenent, quod furiale caput?
Quàm lento incedunt greſſu, qua mole mouentur
Immani, & Pontum qua grauitate premunt?
Scilicet hoc certè eſt, quod (triſtia fata recenſens
Phyllidis, & prædam ad littora rete trahens,
Quà dulcis ſpectat, pulcherrima Mergillîne,
Parthenopes arceis, Pauſilypique ſinus.)

Piſcator quondam Lycidas narrare ſolebat,
De præda piſces quum dabat ille mihi.
Maiora eſſe ferens longé Neptunia monſtra,
Quàm ſunt, quas gignit Dædala terra feras.
Hæc igitur monſtra, & Pelagi genus omne ferarum,
Accipiunt nomen ſingula quæque ſuum.
Atque Pater ſic fatur Adam; ſint nomina vobis
Cete, ſintque alijs quæ antra profunda colunt.
Ponderibus nequeunt quæ ſeſe extollere ab vndis,
Quæque oppreſſa fremunt, atq; fame intereunt.
Tunc ipſe ingentem miratus ſergere Molem,
Nam medio ſtabat magna columna mari.
Dic Pater ò dixi, huic fuerint quæ nomina Mõſtro?
Erectum heu quantas ore refundit aquas.
Ille ait, hoc quoniam immani efflat ab ore tumẽtes
Fluctus, Physêter, nunc ſibi nomen erit.
Hoc quod terrifico pandit caua guttura hiatu,
Vndam etiam effundens, nomen Hyæna ferat.
Hæc fera, quòd dentes habeat, ceu lamina Serræ,
Priſtis, multiplici à dente vocanda venit.
Tu quæ magnũ es tota caput cum dentibus, Orcas,
Dicaris, tu Aries, tu Leo, tu Vitulus.
Tu Panthera; magis Põto, eſt quã quæ aſpera terris;
Atque, Canes, pelagi Tu furibunda cohors.
At vos, qui facie, & me oculis, atque ore refertis,
Protea, Tritones, Nereidasque voco.

Te Phorcum, vos Sirenas, Glaucosque biformes,
Pars hominum, piſcis cætera pube tenus.
Iamque propinquabant Rhombi, grãdesq. Siluri,
Oſophagi, Hyppuri, iam Batidesque Boues.
Littoreas (vt Ouis) Scarus qui ruminat herbas;
Cæruleo hîc tinctus Sulphure Scombrus erat.
Hîc Sparulusq. micans, atq. horrens frigora Pagrus;
Enſifer et Xiphias, Sargus, & Vmbra, Tragus.
Venerat & Mugil, & tenuis Melanurus in acta,
Mormylus ore nitens, rarus & ille Faber.
Quis piſces clauſo teretes in vertice gemmas,
Faucibus aut nummos poſſe tenere putet?
Luteus eſt vnus piſcis, qui degit in vndis,
Hic cerebro gemmas, vt Synodontes habent.
Eſt Faber occulto nummum qui ſeruat in ore,
Pro Domino Solymus quẽ erogat inde Petrus.
Conuenere Lupus, Thynni, Muræna, venenum
Cui Coluber nubens, euomit ipſe prius
Inſiliens Pontum, at rediens bilem ore reſorbet,
Quam ſi non reperit, mox perijſſe iuuat.
Pompilus hîc eſt, gaudens ſe aſſociare carinis,
Oſtendens nautis, qnàm propè littus adeſt.
Nautilon, aſſimilis puppi, qui Marmora findit;
Condere mortales quo didicere rates,
Eſt Echenæis, quis nam quæſo crederet vnquam,
Tam paruam ingenteis ſiſtere poſſe rates?

Sunt Domini maris, atque Simonis nomine Iæti,
Quos hominum ingenijs aſſimilare potes.
Hi, prius ipſi omnes fuerant ſine nomine piſces,
Ille etiam ex auro nomina qui retinet.
Et tandem qui non veniat, nomenque capeſſat,
Piſciculus toto in Marmore nullus adeſt.
Ad Squillas vſque, occiſæ occidiſſe necantem,
Quæque hoſtem saturo Labraca ventre valent.
Longior ipſe fui fateor, numeriſque vagatus
Plus nimio; parcas tu pia Poſteritas.
Adde, ex innumerabilibus, nunc has quoq. paucas,
Exiguo vt poteram cogere in orbe feras?
Proſequar, & cœptis iam nunc me reddere primis
Nitar, quod ſupereſt poſtmodò Adame loquar.
Non probat Omnipotens, ſegnem te degere vitam,
Vtque Orbem humanis ornet imaginibus.
Languidula irriguo clauſit tibi lumina ſomnò;
Luminibus captis corpora laſſa iacent.
Tunc ille è latere, atque tuis ex oſſibus, Aeuam
Formauit ſociam, vincula cara, tibi.
Creſcat item Soboles Diuino numine fatus,
Viuite, & humanum concelebrate genus.
Excitus hîc ego, quum pigrum me ſōnia linquunt,
Somnia perpetuò quæ reditura velim.
Felices illos dixi, bona ſi ſua noſſent,
Felices, Natis dona fruenda ſuis.

Non erat

Non erat his opus altricem proſcindere terram
Vomere, vel raſtris ſolicitare ſolum.
Siue Pyrum inſerere, aut ex ordine ponere vites,
Atque labore graui quærere velle cibum.
Grata dabant tunc ſponte pijs alimenta colonis,
Vitalis fructus arboris auricomæ.
Roſcida pendebant mala, & redolentia paſſim
Cruſtumia, & ramis dulcia poma ſuis.
Terra opulenta ſuos fœtus, vltroque ferebat
Mox quicquid ſtudijs contulit ipſa rudis.
Tam bona ſors hominum vili tã perdita pomo eſt?
O leue conſilium, perniciemque hominum.
Quàm malè curarunt ſummi mandata Parentis
Seruare? incauti poſt habuêre Deum.
Protinus hinc miſeri pœnas pro crimine ſoluunt,
Multantur diris, & miſero exilio.
Parce Pater precor, atque meæ tu parce querelæ,
Non poſſum tantas non doluiſſe vices.
Nos miſerum mortale genus, tot voluere caſus
Cogimur, & triſti pellere fronte famem.
Et quia frigoribus premimur, laxamur & æſtu
Conamur varijs membra fouêre modis.
Cogimur ingentis pelagi tentare pericla,
Atque procelloſis credere corpus aquis.
Cogimur horrendos belli perferre furores,
Cogimur heu vitæ mille ſubire mala.

Atque inter lacrimas, inter ſuſpiria ſemper
Verſari, & mœſtos condoluiſſe dies.
Hinc labor, hinc curæ, hinc morbi, triſtisq; ſenectus,
Vnde quieſcendi vix datur hora homini.
Omnia ſic tetrum ſapiunt conſperſa venenum,
Vt capiant vitæ tædia quenque ſuæ.
Præterea inuaſit terras, poſtrema malorum,
Improba Mors, atro de Phlegethonte volans.
Quin etiam Diuina hominum Mens, ire malignas
Cogitur ad ſedes, Tartareamque domum.
Qua, mala Tiſiphone, diris accincta flagellis,
Verberibus ſontes percutit horriſonis.
Sed taceam ſcelerum pœnas comprendere; totque
Angues, Roſtra, Faces, Flumina, Saxa, Rotas.
Sic tantum per te potuit temerarius error,
Sint cuncta vt Proli iam ſubeunda mala.
AT QVONIAM nunc facta Dei ſublimia cantu
Perſequar, exiguis viribus impar onus.
Nūc opus auxilio eſt. Tu homines, Diuosq; perurēs,
Huc ades igne tuo Spiritus Alme ſacro.
Fonsq. Patris, nunc labra pio perfunde liquore,
Quique Dei es digitus, iunge manus calamo.
Da mirum è ſuperis, da immenſum dicere amorem
Delapſum Regnis in miſeros homines.
Arcanum ingens, ac Diuinum pangere VERBVM,
Da mihi, da quæſo myſtica ſacra loqui.

TV Pater humanum, ætheria quum cernis ab Arce,
Omne genus letho ſuccubuiſſe graui.
Poſtquàm centimanos tulit impia terra Gigantes,
Et facta eſt cunctis iam via lata malis,
Sponte tua, æterno clemens miſeratus amore,
Mente agitas miſeros velle iuuare reos.
Hinc igitur *VERBVM* ſummo demittis Olympo;
Nuntius eſt ales, cui comes Ales Amor.
Rara fides, & ſola pijs res credita, nulla
Vi, & salua ex omni parte pudicitia,
Virginis Hoc puræ diuino Numine complet
Viſcera, ſic magnum concipit illa Deum.
Quem ſincera, pudens, & fœdæ neſcia labis,
Factum hominem, Genitrix edidit inde Deum,
Non vllo motu, partuſque dolore grauatur
Virgo, nec illæſus pondera ſenſit hymen.
Non ſecus, ac (ſi magna licet componere paruis)
Sol radijs intrans, egrediensque facit,
Clauſtra vitri penetrat, nec læſis integer exit,
Sic Vigor ille Dei, qui Deus ipſe fuit.
Diuinus prodit palmes, proditque propago
Ipſa Dei, pacem mox paritura viris.
Verus homo, caſtæ exoriens de sanguine Matris,
A Patre quòd genitus verus & ipſe Deus.
O mirum arcanum, ò magni Mens alta Tonantis,
Pectoris ò summi diuitiæque Patris.

Naſcitur effector Mundi, nec factus & ipſe eſt,
Dat vitam natis cæditur ille ſuis.
Dictus hic eſt CHRISTVS, qui Chriſmate perlitus,
Nos vngit fortes ad fera bella trucis. (hoſtis
Ergò Opifex Mundi ſalue, ſalue optime Cæli
Conditor aſtriferi, Cælicolumque parens.
Qui genus humanum fingis, lapſumq. tueris,
Quum te pro noſtra CHRISTE ſalute voues.
Pro nobis miſeris, qui tanta incommoda paſſus,
Qui innocuus pœnas ſuſcipis innumeras.
Nam tibi naſcenti, arentes ſunt lectulus herbæ,
Et ſpecus hoſpitium, vilis & ipſa caſa.
Mox ſaxo ancipiti, pellis mundare reſectæ
Sanguine cœpiſti crimina noſtra tuæ.
Vix natus, mater trepidans conſcendit aſellum,
Teque Paratonias tranſtulit ægra domos.
Hinc rediens, inter Proceres puer ipſe verendos,
In templo reſeras abdita ſacra Patris.
At natu grandis, syluas, & tecta ferarum
Aſpera ieiunus, deuiaque antra colis.
Hic tu congreſſus, ſcelerato ex hoſte nefandi
Rurſus digna refers præmia diſſidij.
Dum ciet is quondam, ſũmo agmina ſæua Tonanti
Aligerûm, & Cælo bella ſuperba gerit.
Tu Deus immanem hunc Cælo, totamq; cohortem
Deturbans, imum proijcis ad Barathrum.

Aſt humilis mox factus homo, licet impius olim
  Te ſciat ipſe hominum velle ſubire vicem.
Eſſe tamen te illum ignorans, hominemq; Deumq;,
  Te fatur, varijs detinuitque dolis.
Tu tamen obſiſtis; ſed perfida dicta ſupremum
  Quæ tangunt Patrem, dum tolerare nequis.
Acribus infeſtum verbis hunc fortiter hoſtem
  Reijcis ad triſteis, Tartareosque Lacus.
Sed prius hirſuto Iuuenis velatus amictu,
  Cui ſecreta dedit noſcere ſumma Deus.
Te fouet ad placidam Iordanis lætior vndam,
  Et vitreo lympha ſpargit ab amne caput.
Dicite fulgentes aurata in veſte miniſtri,
  Turba Dei pennis nuntia præpetibus.
Non puros latices imo de fonte tuliſtis?
  Fluctibus è medijs, perſpicuisque cauis?
Non vos in placida ſiccaſtis fluminis acta,
  Humida candenti tempora linteolo?
Non ne & Auem, Sancti ſpeciem vidiſtis Amoris,
  Diuinum ſuprà iam volitare caput?
Non vos Cæleſtes fudiſtis in aere cantus?
  Et lætus plauſus, æthereosque ſonos?
Non reſonans alto intonuit vox æthere? ſummi
  Hunc natum inſignem teſtificata Patris?
Felices Cæli volucres, felicior vnda,
  Quæ tinxit Domini candida membra ſui.

Prætereà iuuit ſocios te exquirere, nautas
Congerere, atque ſacro conſuluiſſe Gregi.
Hinc tu veridicis purgaſti pectora dictis,
Indomitis reprimens fræna cupidinibus.
Et quid vitandum oſtendiſti, quid úe ſequendum,
Vt fugiendum ſit turpe, nefaſque doces.
Informas noua corda hominum, vireſque timori
Conteris, atque homines euehis ad Superos.
Conſiliumque Patris ſic tu mirabile narras,
Dum te verum hominem pandis, & eſſe Deum.
Infelix Solyme, malefida, atque impia? ſic tu
Sic petis hunc ſaxo? perſequeriſque minis?
Non ne tuis placidus morbis hic vſque medetur?
Quum ſquamis Elephas horridus eijcitur.
Quum tremulis (miſerum) laxãtur corpora palmis
Confirmat vires, conſolidatque manus?
Non ne hic ad ſuperas auras (mirabile dictu)
Treis animás reuocat, reſtituitque ſuis?
Non ne iubet miſeros triſti conſurgere lecto?
Portantes humeris pondera grata ſuis.
Non ne etiam mutæ ſoluit mala vincula linguæ?
Sanguinis aut potuit ſiſtere profluuium.
Quid memorẽ Herculeo conſurgere corpora mor-
Hydrôpe ac ſubitò membra leuata graui? (bo?
Quid memorem immaneis furias è pectore pulſas?
Orantes fœdos poſſe ſubire ſues.

Vnde nimis Stygio correpti membra furore,
Dant ſe currentes in mare præcipites.
Quis pedibus potuit ſiccis maris ire per vndas?
In vinum Laticem vertere quis gelidum?
Tam Cereris paruo ingẽtem quis munere turbam,
Atque pium gemino paſcere piſce Gregem?
Ah, mens cæca hominum, hunc triſtem tibi pellere
Ecce vides, cæcis lumina aperta tuis. (febrem
Ecce vides inopem contractam extẽdere dextram,
Nec refugis ferrum ſtringere velle manu?
Scilicet hoc pretium? tantorum hæc ampla bonorũ
Præmia? an hæc Domino eſt reddere digna tuo?
Hic noſtra vltrici deleuit crimina morte,
Dum ſtudet iratum conciliare Patrem.
Dum rogat, & guttas profundit ſanguinis inſtar,
Oſtenditque hominis dum bene ferre vicem.
Iamque renodato vinxiſti brachia nexu,
Præſidis & vultus ducitur ante trucis.
Fœdatur putri facies conſperſa ſaliua,
Percutitur dira, candida mala, manu.
Vinctus & ad duram mox cæditur ille columnam,
Turba procax linguis turpia verba iacit.
Tum Sanctus vacua pulſatur arundine vertex,
Immeritumque premunt ſpinea ſerta caput.
Ah Iudæa ferox, mortem qnoque ſæua minaris?
Tu quoque crudelis peſſima facta paras?

Quid gens dura paras, quid ſæuior Hydra malorũ
In Cæli Regem, quid ſcelerata moues?
Quæ fera tempeſtas, quæ ſunt hæc impia bella?
Quæ rabies tanta hæc? quis furor? ac fremitus?
Auctorem vitæ, Diuûmque, hominumq; Parentem
Occîdis? celſa heu pendet vt ille Cruce?
Heu caput vt duris, maculataque tempora ſpinis,
Sanguineam & frontem, pronaque colla tenet?
Brachia, liuenteisque toros, ſciſſosque capillos,
Heu tenet vt tabo pectora ſparſa nigro?
Corruptasque genas, oculos, squallentiaque ora,
Heu torpent quantis languida membra modis.
Mortales ſpectate volas in ſtipite fixas,
Vt geminas lacerent vulnera ſæua manus.
Atque pedum ferro transfixas cernite plantas,
Cernite et à latere vt lympha, Cruorque fluat.
Quo generi humano Cæleſtia templa recludit,
Et miſerans triſteis eluit vſque notas.
Aſpicite, hæc non ille ſuo eſt pro crimine paſſus,
Sed luit ærumnis crimina noſtra ſuis.
Nanque ſuo noſtram penſauit funere vitam,
Flagitium vertens in caput omne ſuum.
O Virtus, ô summa Dei clementia, Nobis
Quanta ſuis confert commoda ſupplicijs?
O mihi ſi vatum quiſquam, numeroque Piorum,
Donetur fidus per nigra Regna comes.

Qui

Qui Ditis triſtemq; domum,ad quam maximus ille
Rex properat,fractas monſtret & inde fores.
Vtq; catenato Pluton per Tartara collo
Ducatur, turmas ſtrauerit vtq; truces,
Tu mihi, tu vates ſenior Ieſſæia proles,
Huc ades,in tenebris miraq; facta cane.
Quæq; prius Cithara (donec tibi vita) canebas;
Incipe, ſic Vates incipit ipſe pius.
ILLE vbi conciſus ſedes deſcendit ad imas,
Triſtia Regna petens, luctificasq; domos.
Infernæ patuere fores iam cardine fracto.
Aduentante Deo, Monſtra nefanda tremunt.
Et Chaos,&Phlegethon,Acheron,& Tartarus hor-
Gorgones,atq; Hydræ,terribilesq; feræ. (rent,
Lucifer opprimitur, Stygius gemit atq; Tyrannus,
Effringi vires ſenſit vt ille ſuas.
Non hunc nauta Charon,Erebi qui flumina tranet,
Excipit,aut terret Cerberus ipſe triceps.
Ipſe Deum vt vidit,rabido non perſonat ore,
Sed toruo ſpectans lumine,ponit humi
Ventremq;, & rictum, & caudā ſub cruribus atram
Condidit, & ſæuis indoluit Colubris.
Non hunc, Pieridum cultor,velut inclytus ille
Alcmenæ, atq; Iouis filius eſſe putes.
Non vt Pirythous: Theſeusq. Anchiſiadesq.
Quos'ue Poetarum fabula vana refert.

Non opus oraclo, aut magna comitante Sibylla,
Huic comes eſt Almus Spiritus, atque Pater.
O ſi pallentes animæ, illic ſurgere Truncos
Vidiſſent geminos, turbaque fuſca gemens.
Sanguine queis latè ſparſis Rex ipſe pependit,
Queis meritò aſſurgunt, Sidera, Terra, Salum.
Quos, verè ille Dei *CHRISTVS* certiſſima Proles,
Transfixa carpſit, ſanguineaque manu.
O & ſi geminis vidiſſent Lumina Palmis
Fulgêre, & plantis Lumina bina Sacris.
Talis erat latere exoriens Sol, qualis ab ortu
Eoo nunquam clarior exoritur.
Quis timor, aut horror miſeras, quæ pallida cura
Terreret ſontes? quas doleantque vices?
Vulnera quæ rigidi faciunt per Tempora ſentes,
Corpori & inflicta eſt plurima plaga Sacro.
Lucidi erant, roſeiq. ignes, Stellæq. coruſcæ,
Quales obſcura nocte micant rutilæ.
Quæ ſi fulſiſſent tenebris, Stygijsq. ſub vmbris,
Non cæcum, at nitidum dixeris eſſe Chaos.
Quo fulgore animæ trepidantes, vertere terga
Cœpiſſent, tenueis ferre & ab ore sonos.
At Nos in clauſtris tentos, animasque piorum
Occurriſſe Deo, ac proſilijſſe iuuat.
Lætamurque Ducem aduentaſſe, è carcere qui Nos
Eripuit, sedes & tulit ad Superas.

Hæc ſenior vates; quum ſidera præpete curſu,
Atque ſuas repetit, Cælicolûmque domos.
Nondum ter Phœbus curſu luſtrauerat Orbem;
Atque dies aderat tertia ab exequijs.
Quandò victor ouans roſeo conſurgit Eoo,
Ad ſuperas auras viuus & ille redit.
Hîc ſocios primum ſuperata morte reuiſit,
Aduentu exhilarans pectora mœſta ſuo.
Vnde reuerſuram ſperamus viuere vitam,
Cumque animis, certa corpora noſtra Fide.
Mox terras linquens, iam Sancto aſtante Senatu,
Aurea conſcendit culmina celſa Poli.
Quâ Deus Omnipotens Solio ſtat Trinus in vno,
Dextra Ille, hîc Amor, hîc & ſedet ipſe Pater.
Omnia cum Patre æquali ditione gubernans,
Humano ſemper proſpiciens generi.
Vera ſalus, ſpes certa hominum, verèq. Patronus,
Securum columen, præſidiumque ſuis.
IVRE igitur Nos mortales tibi, maxime CHRISTE,
Supplicibus verbis vota, preceſque damus.
Teque Deum colimus, tibi templa, & ponimus aras,
Et celebrant nomen fœmina, virque tuum.
Et tibi Sacra damus, Coſtum, Myrrhamq. cremãtes,
Ponimus atque tuis thura adolenda focis.
Effracto Mortis iaculo tibi victima fertur;
Hoſtibus euictis hoſtia ſacra datur.

Quare tu noſtras, Rex clementiſſime, voces:
Et miſerans audi nocte, dieq; preces.
Parce Pater, Populiq; tui ſuccurre querelis,
Reſpice Nos, tantis proſpiciasq; malis.
Pelle Deus belli fremitum, inſtanteisq, tumultus,
Terribiles Martis fac procul ire minas.
Ipſe etiam Sanctis, pro me, dans oſcula plantis,
Subnixo hæc dicam poplite verba tibi.
Summe Parens, turpeis quæſo mihi dilue ſordes,
Præteritæ labis nec memor eſto meæ,
Et licet in te nos multum peccaſſe fatemur,
Mens & iniqua mihi, vitaq; praua fuit.
Tu tamen erranti mihi clementiſſimus adſis;
Plurimus in venia, vt maximus Imperio,
Da, CHRISTE, aeria veniens in nube tremendus,
Quum dabit horrendos Buccina sacra sonos.
Tum cita per terras mortalia corpora ſurgent,
Expellesq; malos, excipiesq; bonos.
Cuncta tuum vt valeam felix per ſecula vultum,
Spectare, & dextram ritè ſubire tuam.
Corpore fulgenti ſecurum me aſſerere Cælo,
Aeternos inter, ſiderosq; Patres.
Hoc precor hoc, Vnum triplici pro numine Numē,
Pro Cruce, pro meritis, CHRISTE benigne, tuis.

DEI MATREM.
HYMNVS II.

ALMA Parens, Cæliq; decus, ſpesq; vnica ter (ris.
O & Virginei Gloria prima chori.
Ipſa adſis, Sanctumq; infunde in pectora carmen,
Quo te pauliſper dicere Virgo queam.
Nam deſunt operis tanti ad faſtigia vires,
Hinc humilis reptem, reptat vt anguis, humi.
Quin etiam æthereum detur ſi ſcãdere Olympum,
Ingenium ad laudes ſerperet vſque tuas.
Ergò paŭca tibi, quæ nunc iam dicere tento
Accipe, erunt animi hæc pignora ſola mei.
PRINCIPIO vt genita es, veteris contagia culpæ;
Nec maculant primi noxia facta Patris,
Qua luce exoreris, lætiſſimus exerit vndis
Sol caput Eois, irradiatq; Polum.
Et natum melius nil te, Galilæia, terris,
Nil ortu viſum maius in Orbe tuo eſt.
At quum te æterni alloquitur vox nuntia VERBI,
Sumis & inuerſum nobile nomen Aue.
Et sacer intumuit Diuino Numine venter,
Virgineoq; ſinu concipis alma Deum.
Quem licet haud totus poſſet cõprendere Mũdus;
Ipſa tamen caſtis ſola foues loculis.

Quumque Palæſtinos feſtinans ſcandere Montes,
Læta vtero ſentis pignus ineſſe tuo.
Longæuæ Soboles matris quum concita ventre,
Et partum ſaliens eſt venerata tuum.
Plena Deo virgo tunc Mater celſa triumphas,
Ipſa inter matres vnica Virgo Parens.
Tunc Regina Poli, sacri quæ myſtica vates
Prodiderant,hominis qnæque futura Dei.
Illa parere homini cœperunt, ſpesque ſalutis,
Certior ipſa viris cœpit & eſſe Fides.
At quum Cæleſtis Partus, prolesque verenda,
Progenita è ventre eſt caſta Puella tuo;
Quo Sponſa,& Virgo,& ſupremi Nata Tonantis,
Quo Patris (mirum) Mater & ipſa tui es.
Quo tamen haud maior, nec tam felicior ipſa es,
Quàm tenuiſſe pia nuntia verba Fide.
Tunc auido indictum funus memorabile Letho,
Aeternumque datum viuere poſſe pijs.
Nunc ego quàm magna inſedit tūc corde voluptas
Dicere,& optarim gaudia quanta tuo.
Sublimis quàm facta ſolo es,tunc frangere vitrum,
Humida nec poſſes tangere aquas pedibus.
Tunc Virgo,Aligerûm (iam te ſtipante corona)
Fulgentis maior lumine Solis eras.

Et magè,

Et magè,quàm roſeis rutilat nitidiſſima pennis,
Inſolita, Phœnix vnica, luce micas.
Felix, Eoos ſeruantes ſidera Reges,
Proſtratos Nato munera ferre vides.
Ecce vides,puerumque ſenes,proceresq. docētem,
Maiorem hinc factum,Mentem aperire Dei.
Præbere & pacem,infernis quum ſurgit ab oris,
Quum (mirum) clauſas tranſilijtque fores.
Vidiſti caris monſtrantem vulnera Diuis,
Hortantem ad veram corda redire Fidem.
Ecce vides magni, cunctis aſtantibus,altam
Lucida per nubem ſcandere tecta Poli.
Spiritus hinc alta Sanctus demittitur Aula;
Qui tua, tum Diuûm pectora Sancta replet.
Felix, tu mox Dia tuo cum ſpiritu, & Almo
Corpore,Cælicolûm ſidera celſa petis.
Aurea Diuino portans in vertice ſerta,
Quæ tulit ætheria CHRISTVS ab Arce tibi.
Diuorum te mille acies comitantur,& omnis
Aligerûm cœtus,Fatidicûmque chorus.
Mille tibi cantusque ſonant,totidemque decentes
Ducuntur choreæ,Regiaque ampla patet.
Hîc tu cum dulci Nato, ſummoque Parente,
Gaudes æterno, perfrueriſque bono.
Hîc Aurora nitens, hîc Sol, & Luna coruſcans,
Prima inter Sanctos lucida Stella micas.

Hinc ego te Cælo, & terris, Regina, potentem,
Teq; hominum fateor, Diua, patrocinium.
Per te hominum duro ſanari corpora morbo
Credimus,atque omnem prorſus abire luem.
Per te iactatus ventis,Pelagoque profundo,
In portu tutis Nauta potitur aquis.
Te quicunq; vocat, lacrimisq; implorat obortis.
Excipis,& miserum Virgo benigna foues.
Denique magna Parens; felix tu ianua Cæli es,
Perquam ſecuri Mortis adimus iter.
Tu pia, tu mitis, noſtra & dulciſſima Mater,
Qua duce ad optati ducimur aſtra Poli.
I *VRE* igitur multo fument altaria thure,
Myrrhaq; nunc ſacra ſpiret in æde tua.
Interſis lætus candenti veſte Sacerdos,
Et caſtas caſto pectore funde preces.
Aſſiſtat Sanctusque chorus, cœtusque canentum,
Et dicant laudes diua *MARIA* tuas.
Dona ferant ſimul & pueri, innuptæque puellæ,
Inſtaurentque ſacris munera odora focis.
Hinc triſtes abeant curæ,rixæque minaces,
Sint fraudes procul hinc,impia lingua procul.
Sit bellum,ſit dira lues procul,inclyta Virgo,
Et paſſim fruges terra opulenta ferat.
Teq. piam exorent grauibus ſuccurrere damnis,
Et mala per Natum pellere cuncta tuum.

AD

AD DIVVM

IOANNEM BAPTISTAM.

HYMNVS III.

GRANDILOQVIS meritò Vates celebrāde Poetis,
  Heros altiſona commemorande lyra.
Tu natus quoniam Sanctus, Sanctoq́ue Parente
  Progenitus Sancto naſceris ex vtero.
Hos tenues quæſo noſtros ne deſpice cantus,
  Dona nec ex humili reſpue prompta ſinu.
Ipſe tuo vati faueas ò maxime Vates,
  Et placidus voces excipe, Diue, meas.
Diue, alius quo non humano è ſanguine maior;
  Salue hominum, pariter Cælicolûmq́ue decus.
Quem præcurſorem delegit clara Tonantis
  Progenies, noſtram commiſerata luem.
Quemq́ue Palæſtinæ decus immortale fatetur,
  Dum tua concelebrans inclyta facta probat.
Teq́ue vnum cunctis præfert mortalibus, vnum
  Fatidicûm sancta Relligione vocat.
Cui tu, longæuæ exultans genitricis in aluo,
  Aſſurgis clauſo Virginis in gremio.
Felix ſorte tua, qui crimina noſtra lauantem
  Sanguine, Iordano laueris amne prior.

Indice qui monſtras Iudææ lumina genti;
Aeterni Solis præuia Stella tui.
Illum, Agnumq́. Dei exclamas, hominemq́;, Deũq́;,
Et nobis Dominum dicis adeſſe pium.
Qui mandata Dei, qui Summi arcana Parentis
Explicet, ad Superos pandat vt ille viam.
Cui tu, quæq́; paranda via, & qui dentur honores,
Venturo & referas munera digna Deo.
Vt prauos ſtatuant homines deponere ſenſus,
Et commiſſa luant crimina cum lacrimis.
Spernere opes miſeras, tumido cum pectore faſtus,
Et veras animi quærere diuitias.
Vt turpi ambitione procul, belloq; nefando,
Sint à ſæuitia, luxurieq́ue procul.
Felices hominum Mentes, DIs æqua propago,
Contenta exiguis rebus, vt innumeris.
Scilicet hæc Virtus, veræ hæc præconia famæ,
Affectus animi perdomuiſſe ſui.
Macte animo, BAPTISTA, Vrbes, & qui alta relinquẽs
Tecta, illis gaudes præpoſuiſſe nemus.
Horrida quem velat neglecto corpore Pellis,
Cui cingit caſtos aſpera Zona ſinus.
Cuique ſitim lymphæ ſedant, & agreſtia mella,
Cui pellit duram vilis & herba famem.
Tandem pro Pietate mori vis, carcere vinctus,
Et Sanctum ferro ſuppoſuiſſe Caput.

Ivre ergò ætherio frueris nunc lumine Cæli,
Et recinis CHRISTO carmina digna tuo.
Nos verò huc illuc agitat veſana cupido,
Atque auidos falſis ludit imaginibus.
Sed tu, qui mihi fautor ades, me perge vocantem
Seruare, & dubiæ dirige Mentis iter.
Vt meliora ſequar, Duce te, ſummoque Tonanti
Officium præſtent pectora grata pium.

IN DIVOS PETRVM ET PAVLVM
APOSTOLORVM PRINCIPES
AD PAVLVM ALEXIVM FILIVM.
HYMNVS IIII.

NVMINIS æterni quiſquis pia tẽpla Sacerdos
Incolis, atquè Dei myſtica ſacra geris.
Et quẽ verſicolor tunica, & quem Sanctus amictus
Ornat, seu Vir, ſeu Fœmina clauſtra colas.
Lux bona nocturnas quũ primũ excluſerit vmbras,
Quum primum terris fulſerit alma Dies.
Proxima ab extremo ducit Quintilis ad ortum,
Quæque Dies, Diuis sacra duobus adeſt.
Ianitor eſt alter Cæli, cognomine PETRVS,
Cui præſtans PAVLVS iungitur eloquio.

Tunc puri, tunc ite pij, recludite templa,
  Atque fores ſertis pingite textilibus.
Tunc, de more, ſacram filo ſuſpendite Myrtum,
  Et varia totum ſpargite fronde ſolum.
Infectas Oſtro Serum ſuffigite veſtes,
  Geſtaque belligeris tollite Signa viris.
Arcibus Aera ſonent miſtum modulantia cantum,
  Et reſonent facili Cymbala pulſa manu.
Tum laquearibus ardenteis ſuſpendite Lychnos,
  Innumeras præſtent robora cæſa faces.
Vrite iam Coſtum Aſſyrium, Myrrhamq. cremate
  Arabicam, atque aris plurima thura date.
Et duplices geminate preces, geminate duobus
  DIs sacra, & geminos congeminate focos.
Tu verò dilecte Patri, mihi carior auro,
  Carior & vita, Luminibusque meis.
Nate ades, & Pauli cognominis excipe carmen,
  Aſſueſce & Diuos iam coluiſſe puer.
Illius exemplo diſces contemnere vanas
  Stultorum curas, & benefacta ſequi.
At natu maior, recto dabit ordine, Petrus
  Muſæ principium, carminibusque meis.
SALVE Sancte ſenex, Galilææ gloria gentis,
  Eximio ſummus quem afflat amore Deus.
Primitiæ, Patriæque tuæ laus inclyta; CHRISTI
  Primus in aſſeclis, Concilioque ſacro.

Et veri teſtis, præco, qui primus in Orbe,
De Fidei cultu, de pietate doces.
Mira fides, Cymba, & tenuí tum rete relictis,
Ad vocis CHRISTI diceris iſſe ſonos.
Felicem Dominus te deligit, amplius vndis
Non Lintrem regere, aut retia torta dedit.
Non tractare leueis Hamos, aut quærere Naſſas,
Captare & piſces in Mare cæruleo.
Sed Populum regere, ac Sanctum te cogere Cœtum,
Piſcari & voluit te, Pater alme, homines.
Nam Mare ventoſum, quod fluctu agitatur iniquo,
Hæc breuis eſt, fallax, duraq. vita nimis.
Quæ non à vento, aut rapidis iactatur ab vndis,
Sed grauibus feruens æſtuat vſque malis.
At Scopuli, vndiſono qui ſtant ceu gurgite montes,
Sunt animi ſæui, terribileſque viri.
Hi ſunt immaneis homines, tumidique Tyranni,
Qui expîlant miſeros, quique nefanda gerunt.
Sed rapidus Vortex, Stygia & metuēda Charybdis,
Hæc errata hominum, hæc peſſima ſunt ſcelera.
Quæ nos dum mergunt miſeros, ceu turbine ſæuó,
In vada Cocyti, nigraque ſtagna trahunt.
Hoc igitur rapidoque æſtu, tumidiſque procellis,
Hoc tu piſcaris monſtrifero in Pelago.
Eſt Nauis Cœtus Sacer, eſtque ſimillima Turbæ
Sanctorum, sacrum quæ vehit alma Gregem.

Dum cupit hæc homines vectare ad littora Sanctæ
Vrbis, percurrens, magna ſecat maria.
Sic vada Iudææ luſtrans, Populosque reuiſens,
In portum gentes aduehis innumeras.
Cappadocas rigidos, & alit quos Colchica Pontus,
Et Gallos Galathas, Bebriciosque vehis.
Quasque etiam gentes Syrius rigat amnis Orontes,
Atque Gregem tota congeris ex Aſia.
Mox te piſcantem vidit Sebethus in vndis,
Vidêre & noſtri littora Pauſilypi.
Hinc pia Parthenope templum tibi PETRE dicauit,
Imponens Aræ nomina Diue tua.
Viſa hæc eſt etiam piſcari in Tybride Cymba,
Quam ſeptem ſpectant Romulidæ è Tumulis.
E, queis, tum volitare per aeris alta Simonem,
Tum lapſum ſpectant Aethere præcipitem.
Ergò hominum Salue ò Piſcator maxime, Salue
Paſtor, cui Sacrum creditur omne pecus.
Ianitor ingentis Cæli, Regnique perennis,
Claudere qui potis es, qui reſerare fores.
Felix qui vinclis, & qui in Cruce Petre triumphans,
Aſtra premis pedibus, vertice tangis humum.
NVNC ad te redeo Tarſenſis Apoſtole, verſus
Iam modò pollicitos, nunc tibi Paule Canam,
Ipſe tuas referam, quo poſſum carmine, laudes,
Electi dotes Vaſis & egregias.

EXIMIVM ò decus, ò Cilicum lux vnica terris,
  O Iubar, & noſtræ Relligionis apex.
O qui Mercurio es longè facundior, ò Dux
  Diuini eloquij, militiæque Sacræ.
Quis putet irruere in CHRISTVM crudeliter? et te
  Tam ſæuè in cœtum bella mouere Sacrum?
Ipſe ferox inuectus equo, dum cuncta parabas
  Vertere, dum totum perdere poſſe Gregem.
Quadrupede ex alto CHRISTVS te ſtrauit, & atra
  Nubibus obduxit lumina ſquamigeris.
Ipſe vocat, teque ardenti ſic increpat ore;
  Inſequeris cur me? cur mihi Saule furis?
Felix, cui clarum largitur lumen ademptum,
  Præſtita cui Mentis clarior eſt acies.
Hinc tu Sermonis CHRISTI fis Paule miniſter,
  Fis doctor, ſacri Concilijque comes.
Atque ærumnarum Socius, vigilumque laborum,
  Verbera pars quorum, vincula, carcer, erant.
Quid referã, quotq. ipſe Vrbes, Populosq. peragrãs
  Afficias, factis mirus, & eloquio.
Quàm ſæpe afflictus, terris iacteris, & Alto,
  Peruigileis noctes, atque famem tolerans.
Pertolerans frigus, vidit Melite inſula, quandò
  Proſilijt manibus vipera dira tuis.
Ipſe Syracoſias tandem perduceris oras,
  Littoraque hinc Rhegi, Puteolosque venis.

Poſtremò Romam veheris, qua ſæua Neronis
Intrepidus ſpernens iuſſa, ſubis gladium.
Nec Pietas viuo ſurgit te candida maior,
Quàm creſcit chartis, te moriente, nouis.
Nam tua quis neſcit, Diuina, atque aurea quantum
Scripta iuuent? quanti en pagina ſacra tua eſt?
Humano generi melius nil comperit vſus
Vitæ, quàm libris inuigilare tuis.
Felix, qui Summi ingrediens penetrale Tonantis,
Spectas quæ raró viſa fuêre homini.
Quod nec lingua loqui, nec Mẽs cõprẽdere poſſet;
Obſtructum arcanum, conſiliumque Dei.
Nunc Vos, ò Diui, clari duo lumina Cæli,
Præſentes votis quos habuiſſe iuuat.
Vos mihi poſt vitæ fluctus concedite portum,
Vt procul à ſcopulis noſtra Carina natet.
Per Vos poſt cineres, liceat mihi ſcandere Cælum,
Secretasq. Dei me penetrare domos.
Per Vos cuncta frui Domino per ſecula detur,
Aſtraque ſub pedibus cernere poſſe meis.

Finis Lib. I.

ANTONII ALEXII
NEAPOLITANI.
HYMNORVM
LIBER SECVNDVS.
AD
SERENISS. DVCEM,
HIERONYMVM PRIOLVM
ET
ILLVSTRISS. SENATVM
VENETVM.

SVBLIMI Princeps Solio, PRIOLE, Inclyta Virtus
Quem Veneta cunctis prætulit vrbe Ducem.
Et vos ò PROCERES, & tu quoq. Sãcte SENATVS,
Conſcripti PATRES, nobile CONCILIVM.
RES veſtra ingenio, & noſtris eſt ardua cœptis,
Dignaque Phœbea eſt gloria tanta lyra.
Vos alij extollant facundo pectore Vates,
Mœonij & doctis concelebrent numeris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ergò (per immenſum plaudentibus aera pennis
Ad Cælum è terris dum vaga fama volat,
Quæ, magno voces diffundens ore per Orbem,
Dum Venetos lumen concinet Italiæ.
Dum regere & tanta dicet cum laude SENATVM,
Vt quemuis culpa terreat ingenij.)
Ipſe pauens Sileam; licet acta illa inclyta, & ingens
Vrbis opus, videar dicere vel reticens.
Dum veſtrum nomen tantum committere chartis
Sum auſus, ſat per ſe nomina clara ferunt.
Nuuc tamen exactos Diuûm de laudibus Hymnos,
Numinibus magnis munera parua meis.
Quos inter claro MARCVS Diademate fulget,
Sidereo qualis Phœbus in Orbe micat.
Hos Hymnos, veſtras placuit trãſmittere ad Aedes,
Vt viuat Sacra carmen in Aede Sacrum.
Vos Patriæ PATRES, queis Sceptrũ à fonte Timaui
Tendit ad Illyrium, Regnaq́. celſa Paphi.
Et queis Medoaci, paret queis flumen & Olli,
Et Mellæ, ripas Addua ad vſque tuas.
Si placet inſigni veſtro mea carmina Diuo
Sacrate, atque humili condite ſcripta loco,
Quiq́; etiam tutela hominum, spes maxima Vatum
Eſtis, & Aonidum dulce patrocinium.
Vobis addicto mihi nunc protendite dextram,
Accipite & pura quod pietate datur.

AD DIVVM MARCVM EVANGELISTAM.

HYMNVS PRIMVS.

PROXIMA Idumæi numeris ſolennia Petri
  Nunc mea Muſa ſacrat carmina MARCE tibi.
Quæ,ſene cum Sancto vt placuit tibi ducere vitam,
  Cuius alumnus eras,aſſiduuſque comes.
Sic cupit illius meritò te adnectere laudi,
  Et gemina fieri clarior ipſa face.
Ergò ades,atq; tuæ celebris præconia famæ,
  Et cape dona tuis,parua licet, meritis.
Sunt fateor parua hæc tanto mea carmina Diuo,
  Qui grauiore ſono iurè canendus erat.
Quem facies magni ſignat generoſa Leonis,
  Atque ornat rutilans candida terga Iuba.
Hic eſt qui ad CHRISTI cõnectens colla quadrigas,
  Terrarum ſanctam pandit in Orbe Fidem.
Niliacis idem terris (ceu fulgidus Aethon)
  Luſtrat Alexandri tecta ſuperba ducis.
Quorum felices primus Pietate colonos,
  Atque rudem paſcit Relligione Gregem.

Qui Populos Aquileia tuos, magniq́ue Timaui,
Tergeſtenq́ue habitant, Cenomanûmq́. domos.
Carnorum qui rura tenent inſtruxit, & omnes
Præceptis Henetos imbuit æthereis.
E quibus, Adriacis conſurgit nomen in vndis,
Atque genus Venetûm ducitur egregium.
Attila dum ſæuit flammis, dum fulminat armis,
Vrbs caput hæc vndis tollit in Auſonijs.
Sed quis nunc tantas Vrbis componere laudes,
Molis & immenſæ quis meminiſſe queat?
Naturæ mirandum opus, & totius imago
Hæc Mundi eſt, tumidis horrida Principibus.
Romulidum extincto gentis iam lumine, fulſit
Clarius hoc magna Sidus in Heſperia,
Sola potens Pelago, diro pauor anxius hoſti
Ismario, nobis tuta ſalus miſeris.
Iuſtitiæ, Paciſq́ue domus, quam præter in Orbe
Nulli præſidium eſt tutius, aut columen.
Hîc tibi Amaltheæ manabit copia cornu,
Hîc Pietas, Probitas, Pierideſq́ue vigent.
Huc me digreſſum mouit tua gloria MARCE,
Nam Tellus Cineres contegit iſta tuos.
Hæc Gens, quod tenuit Pellæo Vrbs condita Rege,
Vexit in Adriacas nobile Corpus aquas.
Hæc tibi Mygdonio poſuit de marmore Templum,
Emblema hæc varijs pinxit imaginibus.

Aeraque tum celſa reſonantia ponit in Arce,
Quæ poſſint hominum corda ciere ſono.
Mille tibi pendent Lychni, & funalia mille
Vruntur, flammis plurima thura Sacris.
Sternitur Ara tibi, solenni inſtructa paratu,
Tota micans auro, gemmea tota nitens.
Lucidus hinc Adamas fulget, viridisq; Smaragdus
Quem mittit Scythia; hinc Chryſolitusq; micat.
Ceruleæ Sapphîri; purpureique Hyacinthi;
Atque Topazius, hinc verſicolorque Opalus.
Inde acreis hominũ Androdamas quæ cõprimit iras
Inde inimica nitet Bacchi Amethyſtus; Onyx.
Quid magnos referam Carchedonios Apyruſtas?
Stellas Sandaſtri, & lumina Sardonychis?
Deniquè præclaris radiat decorata lapillis,
Cæleſtes dicas eminus eſſe faces.
Quam circũ Pater eugè canit MARCE eugè patrone,
Eugè omnis cantat, maxime MARCE, chorus.
Ergò, qui Patriæ es magnus, Leo Myſtice, rector,
Et Populi cuſtos sedulus vſque tui.
Ipſe DVCEM, Populumq. tuũ, Sanctumq. SENATVM
Incolumem serues tempus in omne precor.
H s vires augere ſuas, Sceptroq; potiri
Dà ſuper Aethiopas, Regnaq. Taprobanes.
Me quoque Diue precor, placidis in sedibus iſtis,
Et dà securo viuere poſſe lare.

O vitæ iucunda meæ, ô placidiſſima ſedes,
Gratior ô Tellus ſola meis oculis.
Si focus aſſiduo noſtra luceret in æde,
Nec daret exiguas cenſus iniquus opes.
Impiger ipſe tuas petijſſem lætior oras,
Atque tuas linter noſtra nataret aquas.
Iſtic tranquillæ duxiſſem tempora vitæ,
Iſtic felices soluerer in cineres.
At me ſi aſpiciat Sanctus, prudensq; SENATVS,
Si faueas votis MARCE benigne meis.
Tunc mea Muſa tuæ referet miracula Terræ;
Ciuibus vnde tuis nobile ſurgat opus.

AD DIVVM HIERONYMVM.

HYMNVS II.

TE quoq. iã liceat, fulgẽs HIERONYME Sidus
Dalmatiæ, numeris concelebrare meis.
Sedulus ecce tuas accingor dicere laudes,
Accenſus ſtudijs quum trahor ipſe tuis.
Aſt ego facundam ſublimi pectore linguam,
Et cuperem magnæ vocis habere tubam.
Audiat hæc tellus, quæ primos aſpicit ortus
Solis, & occaſus quæ videt Heſperios.

Audiat hæc, ſæuè Scythicas quæ congelat vndas
  Mæôtis; teneant Aethiopesq́ue nigri.
Sed tua me virtus deterret, & inclyta fama;
  Vnde cadunt animi robora firma meî.
Quarè nunc tenui laudes ſi proſequar arte;
  Si nequeo dignis promere facta modis.
Cinyphijs tamen in tectis, Hipponis & antro,
  Quæ cecinit Vates verba referre iuuat.
Rarus honos ſiquidem, celebrari à Præſide ſũmo,
  Atque viro extolli laudibus eximio.
Qui tot diuinis Orbem (mirabile) chartis
  Illuſtrans, Fidei eſt,& decus,& columen.
Culmina qui CHRISTI, & labentẽ ſubſtinet Vrbẽ,
  Et Sacrum à rapidis arcet ouile lupis.
Ergò AVGVSTINVM ſit fas audire loquentem,
  Intereà lingua quiſquis ades, faueas.
MACTE graui probitate ſenex, præſtantior alter
  Robore non animi, non pietate tua eſt.
Alter es HELIAS, verè alter es ipſe IOANNES
  Cui cibus herba leuis, potus & vnda fuit.
Dura tibi vita, atque graueis placuere labores,
  Aſper erat cultus, victus & aſper erat.
Sylua fuit ſedes, Palmetis conſita celſis,
  Et procul à turbis antra repoſta, domus.
Hîc tentans fortis quantum patientia poſſit,
  Excrucias varijs membra pudica modis.

Nil tibi parcendo,loris das terga cruentis,
Percutis & ſaxo pectora nuda graui.
Duraque nocturnum præbebat terra cubile,
Pro molli pluma,compoſitoque toro.
Intonſi pendent crines, impexaque barba,
Et faciem macies, ſquallor & ora tenet.
Et tecum errabat ſyluis genus omne ferarum,
Quod tamen, innocuus grex erat, vt pecudum.
Quin Leo fortè pedem ſpina transfixus acuta,
Facta tibi ſupplex Bellua poſcit opem.
Solus ſub gelida tu tempora tranſigis aura,
Nec Solis flammas, Solſtitiumque caues.
Extra hominum cœtus,fidi comitantur amici,
Nobile ſcriptorum ſcilicet omne genus.
Ardenti ſtudio, Latij monimenta reuiſens,
Non ſine Chaldaicis Attica ſcripta colis.
Moſis & interpres, arcana volumina transfers,
Et quæ veridici præmonuere Patres.
Præterea Tabulas condis ſermone diſerto,
Relligio vnde viget, creſcit & alma Fides.
Ipſe Gregis CHRISTI defenſor maximus extas,
Et columen Sacri diceris eſſe Chori.
Poſtremò mortem, & tua funera Sancta canemus,
Vt fuerint celebri condita membra ſolo.
Bethlemio è portu ſoluiſti ſancte Sacerdos,
Cæleſtem portum perpetuò vt teneas.

Illic

Illic naſcenti dantur cunabula CHRISTO,
Illic in Stabulo vagijt ipſe Deus.
Nec taceam (dictu mirum) dum ſcandis Olympũ;
Quum subitò è Cælo lumen in Orbe micat.
Aera per liquidam ſuaueis funduntur odores,
Et dulceis haurit quilibet aure ſonos.
Diuorum aduenisse choros, atque agmina Cælo,
Vt summi dicas Numen adeſſe Dei.
Omnes te excipiunt hilares, feſtique colonum,
Teque nouum gaudent viſere municipem.
Tunc Deus in Cælo fecit te Sideris inſtar,
Luce tuum irradians splendidiore caput.
Hæc ille, & canerem dixit quæ plura ſuperſint,
Sed nec vis animi, nec mihi lingua satis.
Ergò quî potero tenui te dicere verſu?
Quem superûm linguæ vix celebrare queunt.
Sit mihi ſit voluiſſe satis, tentaſſeque tantum
Materiem, & digitos applicuiſſe lyræ.
Te precor, exigui carmen ne ſperne poetæ,
Non ſpernit Summus munera parua Deus,
Meque tuas cantu laudes ornare decenti
Aſcribas meritis, non potuiſſe, tuis.

AD DIVVM DOMINICVM.

HYMNVS III.

EN NOVA Lux oritur, Diuus qua lucida terris
DOMINICVS clari migrat ad aſtra Poli.
Annua iam Sacris redierunt tempora feſtis,
Thura Sacerdotes accumulate focis.
Nos etiam hunc celebrare diem, lætique paramus
Hæc dare tam magno carmina pauca viro.
Sed tua quis poterit totum memoranda per Orbē
Facta? quis & laudes enumerare tuas?
Quis te ſancte Pater, dignis extollere verbis?
Præcipuè quantum es mitis, & ipſe pius?
Qui ſortem alterius, qui vincla ſubire paratus
Venalem te offers, vt redimas ſocium.
Quique aurum, qui diuitias, luxumque fluentem
Spernis, quemque inopi tradere cuncta iuuat.
Magne Pater pietate; ò qui labentia Petri
Fulcis tecta humeris, culmen & omne ruens.
Hinc validū ille tibi baculū, hinc tibi Paulus amicū
Dat librum, Sanctam quo tueare Fidem.
Impiger ò CHRISTI miles, Dux fortis, & idem
Orator, Sacri fautor & ipſe Gregis.
Vtrique Heſperiæ rutilanti ſidere fulgens,
Mane nouo qualis Lucifer exoritur.

Illic hauſiſti vitalem paruulus auram,
Hîc tumulo tellus Itala te decorat.
O quantum aucta tuis exemplis Alma verendis
Relligio eſt? verbis creuit & illa tuis?
Quàm tua terrarũ excellit pia Turba per Orbem?
Quot ſplendet claris hæc veneranda viris?
Hoc ego nunc auſim, de ſacro dicere cœtu,
Secula maiorem non habuiſſe, tuo.
Hoc ſiquidẽ è numero, magnus præfulget Aquinas,
Eximium in noſtra Relligione decus.

IN DIVVM THOMAM AQVINATEM, AD ILLVSTRISS. CARD. INNICVM AVALVM, AQVINATEM, ARAGONEVM.

HYMNVS. IIII.

SOL Oriens, Sol Oceani dum ſe exerit vndis,
Miratur, THOMA, Luce oriente tua.
Miraturq́ue Dies, mœrenti Hyperîone, Solem
Quæ te naſcentem vidit in Orbe nouum.

Felices ergò qui te vidêre, profuſos
  Quique hauſêre tuos ore tonante ſonos.
Sed tuus ante alios Genitor felicior omneis,
  Qui te Diuino munere progenuit.
Quæ te concepit ſit feliciſſima Mater,
  Ortum cui cecinit Vir pius ante Sacrum.
Ipſa fuit nutrix etiam lætiſſima; quandò
  Mirata eſt cunis quæ facis ipſe puer.
Patria, quæ pueri vidit cunabula, Aquinum,
  Surrexit Latio nobilis in populo.
At tu quæ Sanctum inſtituis florentibus annis
  Parthenope, Myrto tempora cinge leui.
Illi iter ad Sophîæ ſedem tu docta recludis;
  Ille tibi ad Superos, tectaque Cælicolûm.
Iam nunc Sebethus vitreis caput efferat vndis,
  Frondeque Arundinea cornua cincta gerat.
Argento cui barba nitet, cui pectora Muſco,
  Septaque ſunt crudis brachia Hirudinibus.
Ipſe tenens dextra lituum, alto perſonet ore,
  Alliciens Nymphas ad pia Sacra ſuas.
Prima ferat calathis violas formoſa Cremana,
  Theodocia intortis florida texta comis.
Lilia Reſina; & cum Hyacintho portet Acanthum
  Portitia; & Salices culta Labulla leueis.
Deliolum Myrtos; det Cyprion atque paluſtrem
  Leucogis, & rubras præbeat alba roſas.

Dum Sacrum celebrare parat ſolenne Sacerdos,
Ingere diuitias tu quoque Nyſa tuas.
Portet aquam gelidam, bacchũque Patulcis ad arã;
Mergillîna pijs thurea dona focis.
Vnde sua celebri surgat Sincerus ab vrna
Actius; Euphrati cognitus, atque Tago,
Hic plectro reſonante, tuas ex ordine laudes,
Et referat Patris Stemmata clara tui.
Deductumque genus materna ab origine Regum,
Quantus & antiqui laude feraris Aui.
Naſceris vt primum, vibrans Deus æthere ab alto
Signa dedit, forti fulmina dira manu.
Quæ ſoror aſtabat tecum dulciſſima, ab igne
Correpta horrendi fulguris, occubuit.
Obducunt flammæ cunas, ardêre videris;
Infans dum vagis, te vaga flamma fugit.
In sacrum admiſſus cœtum, & pia fana Caſini,
Ediſcis tyro prima elementa rudis.
Auſpicio tali creſcis, ceu nobilis arbor,
Virtutis referens inclyta ſigna tuæ.
Non iuueni luſus teneri, & grauitate carentes
Non placuere ioci; non tibi lingua procax.
Quin verbis adeò parcus, ſis mutulus, vt Bos,
Ingenij tacito præmia corde fouens.
Donec ſcribentem, totum mugire per Orbem,
Te canet æterno maxima fama sono.

Aetate in molli, caro comitante Parente,
Otia Parthenopes viſis honeſta puer.
Hîc te mirantur cuncti iuueneſque, ſeneſque;
Doctrinam celebrat turba diſerta tuam.
Felix, qui Venerem conſtanti pectore vincens,
Fœmineis nunquam es captus ab illecebris.
Qui dum puber eras, Diuino accenſus amore,
Atque Deo addictus, clauſtra sacrata subis.
Sub duce Dominico, non ferro, at mente fideli
Accincto, CHRISTI militiam ſequeris.
O quas tunc lacrimas, ò quos tunc Mater acerbos
Queſtus? & voces edidit illa graueis?
Mox celeri exagitate fuga, turbaque sequenti,
Carceris horrendas duceris in latebràs.
Germani obiurgant fratres, tentantque futurum
Auxilio Regem, magnanimoſque Duces.
Propoſito vt valeant ſtabili te abducere; Sanctum
Ipſe animum obfirmas, pergis & vſque magis.
Mortales miſeri, heu Summi decreta Tonantis,
Heu credunt nutus vincere poſſe Dei.
Penſilis en arcis ſpecula demitteris alta,
Et Sacro, & caro redderis inde Gregi.
Nunc ego Diuinos optem exhaurire liquores,
Et magno carmen concinuiſſe ſono.
Vt poſſim Diui præconia magna referre,
Præſtantis dotes ingenij innumeras.

Sed quis præclara,& tam multa volumina docto
　Quæ ſcripſit calamo connumerare queat?
Humanas ſuprà vires facundia tanta
　Munere conceſſa eſt, conſilioque Dei.
Felix, Alma tuas (mirum) demiſſa per aures
　Vox CHRISTI, libros approbat illa tuos.
O Sacræ Orator Legis, Salue Inclyte doctor,
　Eximium ò Sophiæ,perpetuumque decus.
O decus Italiæ,ò Fidei lux maxima noſtræ,
　O verè Sacri fulgida Stella Chori,
Cuius ab exortu effugiunt (ceu nubila) peſtes
　Hæreſis,& cunctis Dogmata vera patent.
Sed quis me vaſto audentem committere Ponto?
　Quis ue iubet tanto credere vela Salo?
Iam præſtat, paruam ad littus ſubducere cymbam,
　Et terris tutum reddere me Pelago.
Nam potius,THOMA,exigua cõprendere in Vrna,
　Et poſſem terras,Oceanumque patrem.
Ocyus & rapidos manibus concludere ventos,
　Aequoreumque ſimul cogere lintre pecus.
Omneis, Diue,tuas meritò quàm dicere laudes,
　Singula & in chartis condere facta meis.
TV verò Heroum genus,atque Aualo edite Patre
　INNICE, Aragoneæ gloria rara Domus.
Qui, retines Titulos cognato è Sanguine,Aquinas,
　Nomen & à Sancta Nobilitate refers.

Cui tibi laſciui, Iuuenum caſtiſſime, mores
Sordent,& cui laus rara, Pudicitia,eſt.
Purpureos inter Proceres, Cœtusque verendos,
Et meritò Sacris annumerate viris.
Tu quoque ſis quæſo rerum Tutela mearum,
Sis mihi tu Diuus, præſidiumque meum.
Hinc tibi depictis ſuſpendam vota Tabellis,
Aedibus inque vnis Numen vtrunque colam.

IN DIVAM LVCIAM.

AD

EVNDEM ILLVSTRISS.

CARDINALEM

ARAGONEVM.

HYMNVS V.

HVc ades,& noſtrũ hoc ẽt nunc,INNICE,carmẽ
Accipe, ſunt Diuæ hîc facta canenda tuæ.
Inclytus Antiſtes sacræ quia diceris Aedis,
Illius & templi iura ſuprema tenes.
Ipſa etiam vati Sacra eſt, cui languida fronti
Lux hebet, obtuſo lumine quique videt.
Nec tamen ora trahit ruga, ægraque tardat inerti
Greſſus, aut laſſat curua Senecta genas.

Qui

Qui medica nullam quæſiuit ab arte ſalutem,
  Nunc miſeram vitreo lumine quærit opem.
A puero illi hoc, flore nouo quum emittere pubem,
  Et flauas cœpit ferre Iuuenta comas.
Nunc ergò tu Oſtro indutus venerande Sacerdos,
  Aſſideas Aras ſedulus ante tuas.
Hæ flammis niteant ſacris, hæ thure Sabæo
  Fument, Aſſyrio & ſpiret odore focus.
Aſſiſtantque viri ſacri, pia verba ferentes,
  Et magna reſonent templa, canente tuba.
Tempus adeſt, quo ſolennes bona LVCIA ad aras
  Venit, & in templis ad ſua dona ſacris.
Dona laboratæ ſunt mollis lumina ceræ,
  Quæ dat pro votis ſedula Turba pijs.
En ego iam ſupplex mea lumina cerea porto,
  Atque humilis flexo poplite fundo preces.
Virgo faue, & miſero lucem da cernere cæco,
  Redde oculis aciem, redde benigna meis.
Affer opem, recinetque tuas mea Tibia laudes,
  Votiuos referet parua Tabella modos.
QVI MODO cæcus erat, cui nuper lumina torpent,
  Numine cuncta videt, LVCIA Diua, tuo.
Et referam, quantum ſine vita eſt luminis expers,
  Quum ſimul & vitam, & lumina reſtitues.
At nunc (quod potius cupio) da cernere Mentis
  Lumen, da ſani pectoris auxilium.

Nam verè ſine luce eſt, Mentis luminis expers,
Sic mihi tu placidum lumen vtrunque dabis.
Ipſe Siracuſis referam te, Dia, benignum
Numen, Sol Patriæ lucifer ipſa tuæ.
Moribus haud minus illuſtris, quàm tu genere, &
Egregium nomen iam Pietatis habes. (quæ
Nanq; opibus ſpretis, ſpōſo & noua nupta repulſo,
Aurum pauperibus diuidis omne tuum.
Hanc ergò clamate omneis, hoc quærite numen,
Huic date cum multa thura cremanda prece.
Hāc celebrate, eſt cara Deo, eſtq. nouū addita Cælo
Sidus, in ætherio Stella coruſca polo.
Nam Veneris luxus, turpisque Cupidinis artes,
Delicias hominum ſpreuit, & illecebras.
Et virgo, longè Diuino lumine plena,
Impuris ſemper munda cupidinibus.
Queis adeò mentem, & caſtos abduxit ocellos,
Dum ſanctum ferro ſuppoſuit iugulum.
Hinc illi pro oculis Dominum exorare retuſis
Conceſſum, hinc cæcis eſt sacra dicta viris.
Blanda igitur nobis, per te procul ipſa voluptas,
Et mihi per te ſit dira libido procul.
Spernere da Veneris nugas, luſusque procaces,
Paſcat & ipſa oculos pagina sacra meos.
Da tecum æterni me cernere, LVCIA, Patris
Lumen, & aſtriferi lucida tecta poli.

FINIS LIB. II.

ANTONII ALEXII

NEAPOLITANI.

HYMNORVM

LIBER TERTIVS.

AD

ILLVSTRISS. D. ALPHONSVM

CARRAFAM CARDINALEM

NEAPOLITANVM.

INclyta magnanimûm Heroũ CARRAFA propago,
  ALPHONSE, à proauis edite Principibus.
Patris erat Patruus, cæli qui claudere poſtes;
  Qui poterat clauſas & reſerare fores.
Tu qui Pileo es inſigni venerandus, & Oſtro;
  Fama ſacri cœtus, Purpureiq́ue Chori;
Deſine nos Hedera cinctos tibi dicere laudes;
  Quære, caput lauro, qui tua ſacta canant.
Vera loquor, tantos quoties accingor ad orſus,
  Et cupio nomen tollere ad aſtra tuum,
Deficio; infirmæ nequeunt ſubſiſtere vires,
  Deprimit hæc humeros ſarcina tanta meos.

Vaſta minus noſtro ſulcantur Marmora lintre,
Et natat exiguis paruula cymba vadis.
At tua ſi noſtræ aſpirauerit aura Camœnæ,
Atque dabit votis vela ſecunda meis,
Tunc ego Mæonios auſim propè dicere verſus,
Et cantare nouos altius ipſe modos.
Tunc ego Pegaſidum magnos perrumpere fontes,
Gorgoneo & potero permaduiſſe lacu.
Nam quamuis cingat viridis mea tempora laurus,
Et madeant sacro labra liquore nimis.
Nil ſine te nil Hippocrêne,ſiue Aganippe,
Pota mihi haud tanti Caſtalis vnda foret.
Tu tamen intereà Antiſtes digniſſime noſtræ
Parthenopes,Generis ſplendor, & aura tui.
Quæ quoniam veſtræ,ſuperans labentia ſecli
Tempora,iam sacra eſt ſub ditione Domus.
Et quia noſtrorum eſt tua virtus æmula Diuûm,
Et quia tu vera Relligione nites.
Accipe ſelectis nunc edita carmina Diuis,
Haud laribus forſan munera parua tuis.
Qui præſtant Patriæ præſentia Numina noſtræ,
Et præſunt noſtris firma columna malis.
Sic te propenſi(terris ad vota vocati)
Aſpiciant tandem ſedibus eſſe ſuis.

AD DIVVM IANVARIVM. NEAPOLITANORVM PATRONVM.

HYMNVS I.

QVI DICITVR SACRA POMPA.

MARTYRIS inuicti pro viribus, impare me-
Præſidis & magni facta notãda canam. (tro,
Egregias animi dotes, & pectoris ingens
Robur, dum CHRISTI ſubſtinet ille Fidem.
At tu dum canimus, ſanctos dũ condimus Hymnos,
Dum iuuat & feſtum concelebrare diem,
Parthenope da ſacra tuo, da thura Patrono,
Municipem quandò te coluiſſe decet.
Da Myrtum, & varia ſpargantur compita fronde,
Et poſtes ornet picta corona ſacros.
Sit paries Tyrio veſtitus & ipſe paratu,
Stetque Ara ornatu conſpicienda ſuo.
Sanctaque Diuina reſonent dulcedine templa,
Atque canat ſacros Tibia pulſa ſonos.

IANVARI inſignis,cinctum fulgoribus auri,
Iam nunc extollas,Vrbs venerata, Caput.
Sublime,vt cunctis poſſit, de more,videri,
Occurrit Capiti dum Cruor ipſe ſuo.
Concreto Phialæ geſtentur sanguine plenæ,
Liquitur hic(mirum) viſus vt à Capite.
O mirum viſu,ò dictu mirabile,feruet,
Vt gladio dicas Colla reſecta recens.
Quis putet? ex illo fluxerunt tempore, terna
Secula, bis centum iungito Olympiadas.
O ego quæ canere, ò ego quæ memoranda referre
Nunc cupio; quoties horrida bella gerunt
In te Parthenope; Cruor hic ſpumeſcit in æſtum,
Donec ceſſarit Martius ille furor.
En modò Romano, ac ſummo cū Principe bellum
Dum geritur, Latij & tecta vetuſta ruunt.
Militibusque fremit latis Campania terris,
Et Marrucino ſanguine torpet humus.
Dumque cruore tepent effuſo rura Labici,
Liquitur hic ſemper,feruet & vſque Cruor.
Mox etiam celebri ſanctæ icto fœdere Pacis,
Qui latet hic vitreo protinus orbe riget.
Fœdera quæ Regi ſunt tantum optata Philippo,
Quo nemo eſt armis,ac Pietate prior.
Huic, igitur ſocij procedant ordine Diui,
Queis etiam Patrij eſt cura patrocinij.

IMPRIMIS vexilla ferens, iam clarus in actis
ANELLVS, cunctis inſpiciendus eat.
Qui meritò magnus nunc dicitur eſſe Patronus,
A Patrijs hoſtes mœnibus eijciens.
Accedat clypeus præſtans EVPHREMVS in Vrbe
Obſeſſa à profugis, militibusque feris.
Nam baculo tantum Hic Agarenas vincere gẽtes,
Et potuit claſſem ſolicitare fuga.
Mox pater AGRIPPINVS eat, cui pellere morbos,
Cui cura eſt ciues vſque fouère ſuos.
Quem bene ſubſequitur, qui miti corde SEVERVS,
Extinctos clauſis euocat è tumulis,
Cui comes eſt ASPREN, qui te (Altrix ò mea dulcis)
Eripuit diris hoſtibus à Stygijs.
Nanq; Fidẽ ille, & te CHRISTI præcepta docebat,
Quæque prior Petrus nuntius edocuit.
Inde ATHANASIVS meritò decoratus honore,
Spectandus Populo prodeat ipſe ſuo.
Hic tibi Barbaricos ſedauit ſæpe tumultus.
Armatos quoties reppulit ille globos?
Incedat ſpectanda nouo sacra Pompa Triumpho,
Præferat accenſas & pia Turba faces.
At chorus ipſe ſacer, ſolito ſua tempora flore,
Atque roſa exornet, dum canit ore preces.
En ego, cui Roſa, cui Paphiæ ramalia Myrti,
Cui croceo cingat flore Geniſta caput.

Incipio longa ſerie nunc promere Diui
  Facta, licet tenui carmine, magna loquar.
THREICIA celebrāde lyra, dux inclite CHRISTI
  Militiæ, hoſtiles vincere ſuetus opes.
Felix, qui ardenteis lætus ſpatiâre per ignes,
  Vſque Fidem, atque Deum victor in ore ferens.
Viſus & illæſus, ruptis exire caminis;
  At flamma vltrici Plebs ſcelerata perit.
Nec tamen immitis deferbuit ira Tyranni,
  Mirificè factis quin furit ipſe magis.
Impius immani ſcindit tua membra furore;
  Carceris hinc te atras conijcit in tenebras.
Nolano ex agro mox traxit ad arua Dicarchi;
  In cauea, diris qua lacerêre feris.
Ad genua accurrunt illæ, placidæque recumbunt,
  Et mites fiunt depoſita rabie.
Sæuior ille feris longè tua colla Tyrannus
  Deſtinat in ferrum, lethiferasque manus.
O Patris æterni, cunctis veneranda poteſtas,
  Obducta à cæcis lumina ſunt tenebris.
Tantus ineſt oculis dolor infeſtiſſimus atris,
  Vt latrare canem dixeris horriſonum.
Diſcite Mortales ſæuam exhorreſcere vitam,
  Atque pij æternum vos coluiſſe Deum.
Ibas Sanctorum comitatus, Diue, caterua,
  Quos modò carnificis ſuſtulit vna manus.

Te reuocat miſer, & verbis exorat amicis,
Reddita per te ſunt lumina luminibus.
Quæ tunc aſtabat, cernens mirabile factum,
Accepit veram credula Turba Fidem.
At Prætor contrà, furijs agitatus iniquis,
Accelerat gladio funera ſæua tibi.
Iam Truncus, iam ſancta iacet ſine vertice Ceruix,
Ipſaque diffuſo terra Cruore madet.
Quæ calido ſemper putet de ſulphure tellus,
Vnde ferunt tepidi nomina Puteoli.
O felix dextra, & nimium, nimiumq́ue beata,
Qua ſiccatur humus, colligiturq́ue Cruor.
Et quæ diſiectos artus, inhumataque membra,
Vicino furtim condidit in tumulo.
Salue igitur CHRISTI, tu fortis, & inclyte Martyr,
Atque pugil ſacra ſtrenue militia.
Salue iterum Patriæ defenſor maxime noſtræ,
Dulcis Parthenopes præſidium, atque decus.
Hæc tibi pro meritis, florenti vere, quotannis
Dona refert, ſanctum teſtificata diem.
Quo tua ſolenni traduxit corpora Pompa,
Et tulit exciſum, ſole calente, Caput.
Hinc varia comites cinxerunt tempora fronde,
Quæ retinent etiam nunc monimenta viri.
Nunc ego quid referã Nobis tot cõmoda? quid nũc
Ciuibus aut memorem tot benefacta tuis?

Scilicet ingentem eructans de vertice flammam
  Veſuius, ardenteis vt popularit agros.
Jam latos iterum campos, iamque oppida vaſtat;
  Conflagrant syluæ, tectaque pulchra ruunt.
Vi rapida, & nullo currunt incendia fræno,
  Vt timeant altæ mœnia Parthenopes.
Accurrunt miſti iuuenes, miſtæque puellæ,
  Matronæ, & triſtes ad tua templa ſenes.
Exclamant miſeri, reboat clamoribus Aether,
  Pectora planguntur, cuncta ſonant gemitu.
De more, extremis ſpondent hinc dona periclis,
  Et votum lacrimis promeruere pijs.
Iam reſident ignis fluctus, montisque Veſeui
  Eruta vis hæſit, flammaque retro abijt.
Tu quoque bellorum à multis incurſibus Vrbem
  Eripis, & ſoluis mœnia noſtra metu.
Te miſeri ciues diram depellere peſtem,
  Et morbos cernunt perdere ſæpe graueis.
Sunt teſtes cæci, claudi, ſunt languida Turba,
  Qui ſensêre tuum protinus auxilium.
Teſtis ab Aenaria mulier, miſerabile funus,
  Quæ luget nati dilacerata comas.
Cui velum imponens (tua erat quo picta figura)
  Complexa eſt viuum læta ſuum puerum.
Deſino, nanq; breuis remanent mihi tempora vitæ;
  Inficit & noſtras cana senecta comas.

Nec mihi ſi detur lapſam reuocare Iuuentam,
Te clarum meritis laudibus aſſequerer.
Innumeræ potius pelagi legerentur arenæ,
Quam numerare queam ſingula facta tua.
IANVARI, tenuem quæſo ne deſpice auenam;
Parce, tuis actis ingenium obruitur.
Tu Patriæque Parens, & fautor maximus Vrbis,
Tu quæſo Populi reſpice vota tui.
Qui rogat extentum Pacem regnare per æuum,
Et procul à Patrio prælia abeſſe ſolo.
Ipſe famem procul, & contagia dira repelle;
Tu Nos, tu ciues, Alme, tuere tuos.

AD DIVVM ASPREN PRIMVM NEAPOLITANORVM ANTISTITEM.

HYMNVS II.

IAM nouam ſumo Citharam Sacerdos,
Iam nouo conor ceciniſſe Plectro,
En nouum canto, patriumque Numen
Dicere tento.

Præſidis primi, ſimul & patroni
Vrbis inſignis ceciniſſe laudes,
Nunc decet raros celebri apparatu
Reddere honores.

Ergò tu flores, fruticumque ramos,
Sparge vicinam ſtudioſa Myrtum,
Sparge olenteis Parthenope Geniſtas,
Sparge Roſasque.

ASPREN ò clamet Populus, precesque
Supplices fundant pueri, & puellæ,
Inuocent ASPREN iuuenes, ſenesque; hîc
ASPREN adeſto.

Euge nunc dicant Proceres, Patresque,
Numen ad sacros, meritosque honores,
Ad tuas Aras propera; O Patrone huc
Euge venito.

Venit en auro radians coruſco;
Venit en gemmis caput ipſe comptus,
Quem ſuper vectant humeris, videndo
Vertice, ſummum.

Quem colunt omnes, ſimul & fatentur;
Quàm ſuo natus placido parenti,
Quàm ſuæ debet ſpecioſa caræ
Filia matri,

Tam ſuo debet generata Diuo;
Facta, quæ nati prius ipſa mater,
Filia, à Sancto fuit vt renata
Patria Alumno;

Quam Pius CHRISTO peperit, Tyranni
Quum rapit duri manibus, ferocis
Anguis immenſo, horribilique hiatu
Sedis opacæ.

Clauiger CHRISTI, hanc veniens in vrbem,
Ad Fidem hunc Petrus ſolymus reduxit,
Qua ſuos caros Pius inde ciues
Inſtruit omneis.

O Pater, Paſtor, Patriæque vindex,
Dà tuo ſemper Populo fideli,
Dà præcor veros retinere cultus
Relligionis.

A tua gente hæc violenta peſtis
Sit procul, longè quæ inimica ſerpit,
Quæ modo Europam miſeram ſceleſta
Perdidit omnem.

Fac vt ad caulas redeat priores,
Fac ouis ſtulta vt ſapientia errans,
Nunc velit præceps iterare curſus
Diue retrorſum.

Ipſe cum natis, Populoq́ue caro,
Vota ſolennes repetens ad aras,
Iam tuas curem celebrare laudes
Thure quotannis.

AD DIVVM SEVERVM.
NEAPOLITANORVM
PATRONVM.

HYMNVS III.

DA mihi ſacros, Pater alme, cantus,
Dà mihi Plectrum fidibus canoris,
Vt tui poſſim cupidus decenter
Dicere laudes.

Tu mihi magnum memorande Numen,
Cui caput flauo redimitur auro,
Qui tuæ es claræ venerandus Vrbi,
Diue SEVERE,

Huc ades, carmen tibi dedicatum,
Et licet noſter tenuis ſit Hymnus,
Quæ pio dantur tamen ore, voces
Excipe noſtras.

O Patre orbatis Pater, & fidelis
Tutor, afflictæ ô ſtudioſe fautor
Pauperis matris, columenque firmum,
Præſidiumque.

Impius quandò viduam relictam
Mortuo perdit repetens marito
Aureos centum; hinc agit ille cauſam;
Dicit & illa.

Durus at cenſet rabido ore iudex,
Filiosq; matrem famulari & ipſam,
Impio donec miſerè doloſum
Redditur aurum.

Triſtis ah coniux lacrimans, & vnà
Cum ſuis natis, videt vt ſuperſit
Nulla ſpes, aut conſilium, SEVERI
Tendit ad ædes.

Atque opem clamans petit, & maritum
Nil teneri certè ait; hoc probaret
Si breuem poſſet ſuus ipſe coniux
Viuere vitam.

Pontifex clemens miſeratus, imo
Pectore effudit lacrimas, & inde
Aere tinnitus dedit, atque ciues
Conuocat omneis.

Itur extincti ad tumulum ſepulti,
Præſul euolui lapidem ſepulchri
Iuſſit, & ſanctam tulit inde vocem;
Mortue ſurge.

O Patris ſummi memoranda Virtus,
In ſuos Diuos amor atque ſummus,
Surgit è magno velut ille ſomno, hæc
Inquit & vltrò.

O Deo care, ò venerande Præſul;
Debeo ſolum calidis in vndis
Balnei lotus dare quod reliqui
Immemor ouum.

Ilicet ſaxis pia Turba, & omnis
Impium præceps Populus ruebat
Perdere, at Sanctus ſubitò repreſſit
Corda Sacerdos.

Mortuo dixit, cupis ipſe terris
Cum tuis eſſe? an potius beatus
(Nam Deum exorem precibus) ſupernas
Pergere ad ædes?

Cui Pius, celſi, nitidique cæli
Dà mihi ſedes ait intueri;
Dà citò Diuos, ſimul atque ſummum
Viſere Patrem;

I, Deo, I Cælo fruere, & ſupremum, I,
Ad Piorum gaudium, & ò beate
Qui potes curas, miſeraſque noſtras
Spernere ſordes.

Fac idem quæſo mihi Diue; nugis
Dà mihi vanis hominum relictis,
Et ſimulMundi illecebris repulſis,
Scandere Cælum.

AD DIVVM ATHANASIVM.
NEAPOLITANORVM
PATRONVM.

HYMNVS IIII.

DIVE, ſis felix mihi, ſis benignum
Numen, & vati faueas canenti,
Tu pias voces, pariterque ſanctam
Dirige Mentem.

Dum cano, & clarum, Pater alme, Diuum
Te tuo oſtendo Populo, piumque
Præſidem nobis, ſimul & Patronum
Dico potentem.

L

Mille quæ ponis, reficisq; CHRISTO
Templa, mille & quas facis ipſe viuens
Pauperum ſedes, totidemq; comptæ
Veſtibus Aræ

Thure nunc fument, Araboque Coſto;
Tibia & Buxo reſonet recuruo;
Dicat & laudes Chorus, & miniſtret
Sacra Sacerdos.

Iam tuos cuncti imperio Parentes
Patriam norint regere, & Nepotes
Eſſe iam noſcant Dominos potentes
Vrbis amatæ.

Iam ſciant tutam Patriam nefando
Hoſte, Samnitum veniente ab oris,
Te obuium & ſæua eripuiſſe cura
Dulcè loquutum.

Quis putet verbis ſuperare turmas
Hoſtium? & natum haud potuiſſe fratris
Vincere? vt claros regat ille miti
Pectore Ciues.

Sæuit inſano monitus furore,
Et furit mœſta exagitatus ira,
Nec preces molleis, humileisque voces
Impius audit.

Trudit ah durus Patruum ferocem in
Carcerem te ATHANASI, & hic profanus
Te iubet vinclis cohiberi, & acri
Compede vinci.

Audit hæc Summus, bonus & Sacerdos,
Corripit Regem monitis, & inde
Plectit hunc dictis, Populumque sacro
Fulminat ore.

Scilicet diris Superûm minantûm;
Pingit infames tabulas, Columnæ
Figit, atque illos furijs, & atro
Deſtinat Orco.

Dux ab externis venit ecce terris,
Te manu ſæui eripiens Tyranni;
Qui ferum Regem ſuperauit, omneis
Fudit & hoſtes.

Tu Pius vinclis reſolutus, atro &
Carcere, illuſtrem petis inde Romam;
Liber inferna Populus catena,
Te auſpice, gaudet.

Heu quòd ad Ciues rediens amatos,
Diue, viſurus pecudes amicas;
In Verulano occidis, & Caſino es
Conditus alto.

Qualis ô Turba innumera, atque magna
Pompa ſolennis tibi venit, Alme,
Obuiam? luſtro veheris peracto
Ad tua templa.

Omnis exultat Populus, Patresque;
Tum ſacer cœtus, ſimul & canorus
Te locant Vrna, celebrique ſaxo
Membra reponunt.

Præſulum iuxtà tumulum Piorum;
Hîc vbi claudos iterare curſus,
Et facis cæcos aperire lumen,
Oraque mutos.

Tu Pater quæſo, Patriæque princeps,
Et vigil Paſtor, pecudumque cuſtos,
Tu propinquum dà procul ire bellum,
Agmen & ingens.

AD DIVVM AGRIPPINVM NEAPOLITANORVM PATRONVM.

HYMNVS V.

Te decet noſtrum venerande ſanctum
Carmen AGRIPPINE, decet ſonora
Et lyra, & cantus, numeriq́ue, & amplus
Te decet Hymnus.

Ciue quo gaudent Superi, coruſca in
Sede, aperto, ſtelliferoque cælo;
Quo tuis clarum, rutilumq́ue lumen
Ciuibus affers.

O potens dictis, locuplexq́ue factis;
Magnus ò ſalue Populiq́ue fautor,
Salue & ò patrocinium tuæ Ne-
apolis, vnde

Cognitum Albini eſt facinus ſceleſtum,
Et patet iam proditio nefanda,
Barbaræ quum vult Patriam profanus
Tradere genti.

Venit aſſertor Patriæ benignus
O buiam Albino è Superis, potensque
Obſtat, & mentem, tenuitque paſſus
Progredientis.

Hic tremens factus, pauidusque ad Vrbem
Ducitur captus, Populoque narrat
Et ſuum crimen, ſimul & minantis
Præſulis ora.

Gaude nunc tanto decorata Diuo
Vrbs mea, & tali Duce præpotenti,
Qui manu nullo gladio cruenta
Proijcit hoſtes.

Qui fugat morbos, miſeramque peſtem,
Siſtit & palmas, tremulisque greſſus;
O quot extinctos redijſſe penè
Iuſſit ab Orco?

Phœbo &, ò tu Phœbigenaque maior,
Pœone ò tu, Phylliridèque maior,
Barbara, & quo te medicante, nulla eſt
Pontica Radix.

Nullæ & Aegypti Siliquæ, frementem
Boſphorum iuxtà, Arboribus reuulſi
Nil valent Fungi nitidi, calentes
Corpora, Succo

Non egent Cyrænaico, ſalubres
Iam nihil ſunt ſuppoſitæque Glandes,
Melque cæleſte, aëriumque mauis
Dicere Rorem.
Diuè, quis tanta enumerare facta?
Quis queat plures ceciniſſe laudes?
Quæ tibi è multis cecini, hæc ſatis, pro
Viribus auſus.
Ergò tu Ciues, Populumque carum,
Quem regis, bello exitiale pulſum,
Protege, & claſſem Iſmariam, feroceis
Concute & hoſtes.

AD DIVVM EVPHREMVM NEAPOLITANORVM DEFENSOREM.

HYMNVS. VI.

QVI nemorũ quōdã vmbroſos EVPHREME receſſus,
Et ſaltus denſos, inuiaq. antra tenes.
Quiq. homines voluiſti, & cinctas mœnibus vrbes
Linquere, & in gelido ducere monte dies,
Felix ò nimium felix, qui vilia calcans,
Ex animo pellis dona caduca tuo.

Non tu Regaleis epulas, non fercula poſcis
 Pinguia, ſat menſis herba reuulſa tuis.
Sobrius hauſiſti nunquam tu pocula Bacchi,
 Reſtinxere tuam flumina pota ſitim.
Spreuiſtique aurum tenui contentus amictu,
 Gramineo ſternens membra pudica toro.
Felices Priſcos, iuuit quos viuere paruo,
 Queis fuit hæc quondam vita beata viris.
Illis sylua latens, vacuo & cum cortice robur,
 Marmoreas ædes, atriaque ampla dabant
Veſtis erant pelles, ſeu Palmæ flexile textum.
 Saxea Corna cibus, nigraque Mora fuit,
Arbutei fœtus, Glandes, montanaque Fraga;
 Sed potus, gemina lympha recepta manu.
Nullus erat lectus, cultis quem claudere Cellis,
 Sternere quæ poſſes Stragula nulla ſolo.
Gens tamen hæc priſca, in tacitis ſecura latebris,
 Gaudet terrenis, perfruiturque bonis.
Viuere dum tantum curat, nec perſpicit Aethram,
 Vlla nec in CHRISTO prouida cura fuit.
Tu licet occulto lateas concluſus in antro,
 Dum vitæ illecebras, delitiasque fugis,
Sæpe tamen ſuperas animo conſcendis in Arces,
 Aeterni reputans grandia facta Dei.
Vt ſolo nutu totum componeret Orbem;
 Poſtrema vt fuerat fabrica fictus Homo.

Vtque

Vtque uir incautus, Summi præcepta Tonantis,
  Nec ſeruat coniux, angue parante dolum.
Quos Deus iratus, pœnis multauit acerbis,
  Et letho ſontes deſtinat inde graui.
Hinc homini exortus labor, hinc ipſe ore querelas
  Sæpè iacit, uitæ hinc tot mala perpetitur.
Tunc primũ mortale Genus proſcindere terram,
  Tunc cœpit ſtimulo ſolicitare Boues.
Et ſcindit, liratque agros, dum ſemina ſulcis
  Mandat, vt inde auido pellat ab ore famem.
Tunc gelidas hyemes, ardenteis ſenſit & æſtus,
  Se miſerum & munit vellere multiplici.
Tunc homines petiere Lupi, petiere Leones,
  Euomuit Serpens quique venena prior.
Inde Viri petiere viros; Mars effera bella
  Commiſcet terris horridus, atque ferox.
Hinc homines tecta, hinc Vrbes, & mœnia ponunt,
  Vallant, vnde hoſtis tutus ab hoſte foret.
Quid mala tot referã? iam ſulcant æquora Puppes,
  Noſtraque tam fragiles fata tenent tabulæ.
Heu Mens ægra hominũ, itũ etiã eſt in viſcera terræ,
  Effoditurque aurum, pernicies hominum.
Aurum, cui celſi Reges famulantur, & vnde
  Sordida auaritiæ peſtis, & atra lues.
Cui ſunt inſidiæ comites, fraudesque, dolique,
  Quam ſequitur ſcelerũ peſſima quæq; Cohors.

Prætereà æterni quanta eſt clementia Patris
Commemoras, ſummi gratia quanta Dei.
Vt noſtram clemens ſortem miſeratus iniquam,
Subſidium ætherio miſit ab Axe ſuum.
Scilicet æternã ſobolem, CHRISTVMQ. potẽtem,
Quem nos verè hominẽ credimus, atque Deũ.
Quique male acceptus uerbis, grauiterq́; reuinctus
Saxo, uerberibus plectitur innumeris.
Atque caput ſæua meditaris Arundine cæſum;
Sentibus immiſſis vt fluat inde Cruor.
Vtque Cruci afflixus, crudeli & morte peremptus,
Deſcendat Stygij Tartara ad ima Ducis.
Ad vitam rediens, patrias vt ſcandat in Arces,
Militiæ oſtentans clara Trophœa ſuæ.
Denique quanta Pijs donarit munera viuens
Perſpicis, & moriens commoda quanta dedit.
Quæ bona venturo ſeruentur gaudia Seclo;
Atque pium maneat gloria quanta virum.
Hæc tecum; donec mortales Spiritus artus
Exuit, & cæli limina celſa petit.
Hîc vbi, quæ quondam purgata Mente videbas
In ſpeculo Fidei, nunc ſuper aſtra tenes.
O felix, qui digna capis iam præmia factis.
Sidera quique inter, Sidus & ipſe, micas.
Ergò Parthenopes qui diceris eſſe Patronus,
Iam tandem Patriæ ſuſcipe iura tuæ.

Tu precor, inſtanteis belli procul ire furores,
Et iubeas noſtras Pacem habitare domos.
Tu precor, vt precibus præſis, Pater inclyte, noſtris,
Et faueas Populo, Diue benigne, tuo.

AD DIVVM ANELLVM NEAPOLITANORVM PROPVGNATOREM.

HYMNVS VII.

Qvalis ab Eoo conſurgit Lucifer ortu,
Quadrigis lucem purpureis reuehens.
Qualis & in tacito per noctem Sidera Cælo,
Et clara in cæcis Luna nitet tenebris.
Talis præclaros inter, Pater optime, Diuos,
Cælicolûm fulges inter & ipſe choros.
A puero, felix, Cæleſtem ducere Vitam
Te innocuum ſemper iuuit, & eſſe pium.
Quumq́ue bonus fueris, purus, fueriſq́. modeſtus,
Hinc etiam ex Agno nobile nomen habes.
Blanda nihil potuit mentem mutare Voluptas,
Mores cenſuram non metuere tui.
Pauperie lætus tenui, luxumq́ue peroſus,
Virtute impleſti iuſſa verenda Dei.
Contentum facili menſa te dextera nutrit,
Otia quæ vitans, fit patiens operis.

Spreuiſti cœtus hominum, Vulgiq́ue tumultus,
Vrbis & extremos incolis ipſe lares.
Antrum pro magnis tectis, ſaxiq́ue crepido,
Dat Magnæ in templo Virginis hoſpitium.
Hîc datur & Vitæ meditari celſa Supernæ,
Ex altis ſpeculis, mœnibus à Patrijs.
Et tibi vicinas ſpectanti é culmine Valles,
Hîc Echo verbis aſſonat ima tuis.
Hæc gaudet reſonans, ſparſas ad Sidera voces,
Atque pio gemitu pulſa referre ſonos.
Reſponſuram etiam plangori credere dignum eſt,
Dum crucias loris terga pudica pijs.
Hinc altos cernis Montes, rupesq́ue propinquas,
Quæ quondam incultũ, ac turpe fuêre Nemus.
Nunc Horti placidi, Villæ, dulcesq́ue receſſus,
Sunt loca Parthenopes commoda delicijs.
Hîc vbi grata meis conſeui prædia Muſis,
Optant quæ numeros poſſe ſacrare tibi.
Hæc igitur deſerta loca, opportuna quieti,
Præſtabant Summum noſcere poſſe Deum.
Hæc tibi delicias humanæ ſpernere vitæ,
Atque dabant vanam pellere luxuriem.
Inde Deo plenus, grauiora ad munia prodis,
Fis Paſtor Sacri, Virgineiq́ue Gregis.
GAVDIOSI vocitãt Diui cœtũ, aurea CHRISTI,
Cæleſti eloquio quem Pater ipſe doces.

Felices illas, quæ te te audire loquentem,
Quæ meruêre tuis inſtitui monitis.
O mihi ſi doctum pectus, linguamque diſertam
Det Pater omnipotens, vt tua facta canam.
Siſtere te canerem tremebundi corporis artus,
Pectoribus ſanguen ſiſtere fœmineum.
Nec tibi tunc opus, Amphibij perquirere Fibris
Caſtorea, vt liquido flumine cocta, leui
Sub pruna, Cyathum languẽs bibat ipſe tepentem,
Et ſic à tremulo corpore langor eat.
Necque Lapis teritur Specularis, fluxa cruoris
Qui ſanat, miſtis hauriat æger aquis.
Cortice ſiue cinis capiatur Suberis vſto,
Seu Cochlear, Chio Nectare pota calens.
Tu potes inſanum lateris cohibere dolorem,
Obſtrepit accenſus nec Lapis vllus aqua,
Qua bibat ægrotus; radix aut tunditur vlla
Non Aceris, Baccho ſorbeat inde dolens.
Et canerem, vt pictæ (mirum) Genitricis Imago
Te alloquitur CHRISTI, & quæ pia dicta dedit.
Aligerique Dei vt (viſu mirabile) ad aras
Aſtabant tibi, dum Myſtica Sacra facis.
Dixiſſem, muris propulſo ſæpius hoſte;
Parthenope quantum debeat alta tibi.
Dixiſſem Stygis è cœnoſo gurgite miſſam,
Te nobis toties eripuiſſe luem,

Hoc igitur ſupereſt, Patriæ laus inclyta noſtræ
 Anelle, Aetherei gloria rara ſoli.
Vtque tuum Populũ, vt ciues, Vrbemque labantẽ,
 Vt nunc afflictum me tueâre tuum.
Et (mea ſiqua valet Pietas) fac ipſe Sepultus,
 Sic Cælo, vt tumulo, ſim tibi contiguus.

AD EOSDEM OMNEIS NEAPOLIS PATRONOS.

HYMNVS VIII.

DI boni, DI quos Patriæ Patronos,
Thure me ſemper coluiſſe noſtis,
Et pium ueſtras ceciniſſe Sacro
 Carmine laudes.
Quos, meus cultu Genitor decenti
Ornat, argento Simulachra, & auro
Finxit, & magno ſtatuit Triumpho
 Ire per Vrbem.
Qui Tholos viuens, poſuitque Templa,
Qui pius Vobis ſtata Sacra fecit,
Et Choros Sacros toties in vna
 Mœnia clauſit,

Vos, ſua Vos pro Pietate Patri,
Vos date illi, pro bonitate Veſtra,
Nunc frui Cælo, & coluiſſe claras
Aetheris Arces.

Mi bonam Mentem, validasque vires,
Et ſeni præſtate hilarem Senectam;
Mi fides Regi, Dominoque Regum
Sit sacra ſemper.

At meis Natis docilem Iuuentam,
Et pios donate, probosque mores;
Tum meæ Proli fluat ampla læto
Copia cornu.

Hæc Deum velle, Aetheriosque cunctos
Spero, & extento fugiente Seclo,
Luce Suprema Soboli daturos
Vſque potiri.

FINIS LIB. III.

ANTONII ALEXII NEAPOLITANI.
HYMNORVM.
LIBER QVARTVS.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
ANNIBALEM CARDINALEM
BVXVTVM PATRICIVM
NEAPOLITANVM.

PVRPVREA decorate Toga, ſacroque Galero,
  BVXVTE, Heroüm concelebrate Choro.
Quis poterit Sacris te non intexere Chartis?
  Teque inter Diuos connumerare meos?
Qui tantum Virtute nites, Pietatis alumnus,
  In pura Sidus Relligione micans.
Qui tantum officijs, vtroque & iure refulges,
  Te cuncti vt celebrent, ſuſpiciantque Viri.
Hinc tibi Diuinum libuit ſacrare laborem,
  Carmina & hæc noſtris edita Numinibus.
Quare tu noſtrum exiguum ne ſperne libellum;
  Accipe ſincera qui tibi mente datur.
Proximus huic alter ſurget tibi maximus, & qui
  Extollat laudes vnus ad Aſtra tuas.

AD DIVVM ANTONIVM PATAVINVM.

HYMNVS I.

QVI numero poterit Stellas comprẽdere Cæli,
Et quanta in Lybico littore arena iacet.
Syluarumq́ue leueis frondes, & gramina campi,
Et volucrũ pennas qui numerare velit.
Ille tuas poterit cantu perſtringere laudes
ANTONI, & dignis te celebrare modis.
Pauca tamẽ referam; mihi tot de laudibus Hymnũ
Iam liceat tenuem concinuiſſe tibi.
Tu verò, Aſtriferi decus, & noua gloria Cæli,
Flecte aures facileis ad mea verba tuas.
Nunc taceam quantum claris Hiſpania terris
Sit felix, quantum Patria & ipſa tua.
Et fortunati quantum Tagus irriget agri,
Rura tua auriferis quantus inundet aquis.
Attamen illa Tagi dicam ditiſſima rura,
Et longè ex ortu nobiliora tuo.
Nam quid Olyſſippo maius te, aut pulchrius vnquã
Extulit? aut te quid dignius illa dedit?
Eſt aurum magno, eſt pretio maiore Apyrotos,
Et quæ Gemma pari certat honore Virens.

Sed nihil in terris melius, pretioſius, atque
Nil poterit Sancto grandius eſſe Viro.
Præclaris ergò Gemmis te, auroque micanti,
Atque tuo liceat præpoſuiſſe Tago.
At quòd Ferrantes naſcens dicare Parenti,
E, Cælo eſt, propriũ quàm bene nomen habes.
Nanque tibi vires Animi, validæque fuere
Mentis opes, & vis ferrea Cordis erat.
Turpia dum fortis domuiſti crimina, & ingens
Pellendis vitijs affuit ille Vigor.
Nil nocuêre tibi diri contagia Secli,
Nil hominum falſæ, Blanditiæque leues.
Humanas & opes ſpernens, & commoda vitæ,
FRANCISCI tenues vis habitare Caſas.
Florida quum Virtus ornet te, nomina floris
Accipis, hinc manibus Lilia cana geris.
Te quoq; magne Pater, Maurorũ impellit ad oras
Sanctus Amor, cupidum pro Pietate mori.
Propoſitique tenax, audes committere corpus
Ferro, & pro CHRISTI nomine dura pati.
At vento aduerſo, Latijs allaberis Oris,
Hîc denſas syluas, horridaque antra ſubis.
Hinc mox egreſſus, Cæleſti Numine plenus,
Arcana referas abdita Mente Dei.
Omnibus eloquio maior, dum vulnera CHRISTI;
Dumque necem populis collacrimãs memoras,

Annuere eſt viſus tibi magnus ab Aethere Diuus,
Veſtri Auctor Cœtus qui fuit, atque Pater.
Vulneris illati qui quondam Stigmata CHRISTO
Excipit, hic alto dat tibi ſigna Polo.
Salue igitur Verbis, & Sanctis clarior Actis;
O, ſalue oppreſſis ſubſidium miſeris.
Nam pede qui pulſat Patrem, grauioribus à te
Pulſatus verbis, abſcidit ille pedem.
Exciſos (mirum) iungis tu protinus artus;
Incolumis firmo conſtitit ille pede.
O Summi vis magna Dei, quod nulla medela,
Non Ars vlla quidem, vis hominumúe poteſt,
Vir pius hoc fecit, diſiectos ſcilicet artus
Connectit, miris membraque vulſa modis.
Tu quoque præcipites ventos, Pelagíque furores
Compeſcens, Nautis vela agitata regis.
Felices Antenoridæ, qui nomine priſco
Sunt Heneti, appoſiti collibus Euganeis.
Cernere te viuum, & te queis audire loquentem
Contigit, & Cineres condere poſſe tuos.
Saluete O, Cineres, operoſo Marmore tecti,
Et digni ornatu nobiliore tegi.
Ad quorum acceſſum, ardenteis diſcedere febres,
Sunt certi teſtes, & procul ire luem.
Hinc variæ cedunt peſtes, & corpora morbi
Deſtituunt, validi hinc munera grata ferunt.

Dona tuis Sacris ponuntur Cerea Templis,
Pendet & inſcriptis multa Tabella notis.
Felix, qui Cælo titulos poſt funera claros
Accipis, à Summo præmia ſumma Deo.
Nunc te, Diue, precor, vitales ſi hauſimus Auras
Per te, ſi debet Lux mea prima tibi.
Nanque tuis genitum precibus narrare ſolebat
Me Pater in terris, retulit & Genitrix.
Quique Aſtrum mihi Natale es, Noméque dediſti;
Sis mihi præſidio, ſiſque patrocinio.
Hæc habui tibi quæ canerem, Lux inclyta Cæli
ANTONI, Patriæ Splendor, & Auſoniæ.
Ad ſacras igitur quod pono Antonius Aras
Carmen, & has voces excipe, Diue, meas.

IN PICTVRAM EIVSDEM IN DOMVS SACELLO POSITAM.

ACCIPE Stellifero, ANTONI, Stella addita Cælo,
Hiſpani, & Pataui Gloria rara Soli.
Quam tibi ſacrauit penetralem Antonius Aram,
Et pictam Tabulam, quæ Simulachra refert.

AD DIVVM ALEXIVM.

HYMNVS. II.

VLtima Cælicolæ, veſtro date carmina Vati;
Romani Herois dum pia facta canit.
Si placet Hunc Vobis, doctas percurrere chartas,
Et coluiſſe Sacræ culmina Cecropiæ.
Virginitas ſi intacta iuuat, quæ maxima ALEXI
Gloria, ſi tangit Vos Pietatis honos.
Si Genus eſt gratum Vobis, & Vatis origo,
Prænomen Diui nam mihi Nomen ineſt.
Hinc Tituli tenues, & noſtræ Nomina Genti;
Hinc Fama exoriens; hinc decus omne meis.
Vos ego nunc, Superi, Vos quæſo morte carẽtes,
Hunc date me Latia tollere poſſe lyra.
O Sidus, Sanctumque mihi, clariſſime ALEXI,
Numen, & O columen, præſidiumque meum.
Non te deliciæ, non te petulantia Secli,
Non animum inficiunt fœmineæ illecebræ.
Clara nec alliciunt inſignis Stemmata Patris,
Diuitiæ aut grandes, multaque Gemma nitens.
Non picta Attalico placuêre Aulæa paratu;
Fulgida nec nitidi Vaſa iuuant Abaci.
Quin tibi ſeruorum aſſurgat quũ maxima Turba,
Claraque ſplendeſcat Nobilitate Domus,

Archadij ſordent,ſordent tibi munera Honori;
Tradita quum Patri eſt Roma regenda tuo.
Sed te felicem paupertas indiga fecit,
Paupertas facilis, ſobria, & innocua.
Paupertas optata pijs; quæ conſcia ſanæ
Mentis, quæ diri eſt inſcia flagitij.
Hæc non bella colit,ſed mites pace ſerena
Solatur, cunctis læta canens triuijs.
Hæc tuta,hæc placida eſt,nō ambitione tumeſcens,
Hæc Sancta eſt, forti hæc Fama,decuſq́. Viro
Hac duce, tu Romam, teneris impûber ab annis,
Deſpiciens, carum deſpicienſque Patrem,
Vnica tu Matris requies; idemq́ue relictæ
Luctus,Phœnicas viſis,& Aſſyrios.
Hîc tu per cunctos aditus, per Compita, Vicos
Victum humilis quærens, ore petis querulo.
Inde tribus nauem exactis dum ſcandere Luſtris,
Dumq́ue cupis Tarſum pergere,& in Cilicas.
Flatibus aduerſis rapidas ad Tybridis undas,
Ad patrium inuitus laberis ipſe Larem.
Intraſti ignotus Patris peregrinus ad ædes,
Ad quas admicti ſæpe ſolebat inops.
Huc quoque tu admiſſus, veſtem mutatus, & ora,
Veniſti, ac veluti decolor Indus eras.
Illic ſub ſcalis tibi vilia tecta paraſti,
Et laſſis membris terra cubile dabat.

Dic mhi, Diue, precor: nunc lecto ubi Fulcra nitēcit?
Molleque puluinar, purpureuſque Torus?
Dic ubi nunc Tyriæ ueſtes, & Murice tinctæ
Sydonio? atque ubi nunc Baltheus ille tuus?
Ornatæ menſæ, dulces, varijque ſapores,
Dic vbi ſpumanti vina Falerna cado?
Nil mirum: magni ſi Vox audita Tonantis,
Abrupit ſtamen quum breue Parca tibi,
Cæleſti ſonitu intonuerunt templa: Parentis
Tecta Euphemani quærite Romulidæ.
Romani ſtupuêre Viri, Summuſque Sacerdos;
Ad limen Diui plurima Turba ruunt.
Illic ignotum Sancti vidêre iacentis
Corpus, & Electi membra beata Viri.
Fornice in obſcuro ſtratum aſpexêre Cadauer,
Irradians tetrum, vt lucida Stella, locum.
Aethereo Facies fulgebat lumine, & illi
Clauſa erat in digitis Pagina Sacra pijs.
Hanc poterat nemo è Sancta conuellere Dextra,
Non cedit Patri Palma verenda ſuo.
Sponte tamen, Populi numeroſa aſtante corona,
Pontificis (mirum) en charta datur manibus.
Scripta erat hîc vitæ ſeries; hæc omnia Diui
Facta refert; vni ſingula nota Deo.
Nunc ego quid referam, quæ Nato verba reperto
Profudit Genitor? quasúe dedit lacrimas?

Quid

Quid memorē Matrē amplexantē (heu flebile) Na-
Collapſam vt mœſtæ ſuſcipiūt famulæ? (tum
Reddito & inde animo, ipſa vt fœmineo vlulatu,
Queſtubus, & plantu Sidera cuncta replet.
Sciſſa comam exclamat: tenero crudelis in æuo,
Me miſeram, &, Patrem linquere dure potes?
O requies Vitæ, O Spes, & mea ſola Voluptas,
Primá vteri Proles, vltima & ipſa mei.
Quos ego non iuſſi Populos luſtrarier Orbis
Te propter? tandem vt te videam reducem?
Te non debueras, dulceis cælare Parentes;
Non mouit tenerum Cor Pietatis honos?
Cognitus O ſaltem mihi ſoli Nate fuiſſes;
Debueras cunctis, non latuiſſe mihi.
Sicine te Fili aſpicio? O tibi commoda Mater
Donaſſem miſerans, ne morerêre miſer.
Affari extremum licuiſſet, fortè leuaſſes
Solando dictis pectora mœſta tuis.
O ego ſi poſſim crudelem abrumpere Vitam,
Vt te Cælicolûm tecta per alta ſequar,
Si terris humiliſquė lates, viuuſque negaris,
Et modò me miſeram mortuus ante iaces.
At quod nunc poſſum, Vitam, lucemque peroſa,
Vſque ſinus lacrimis, uſque cruore lauem.
Dixit, & os miſerans circum dedit oſcula Nato,
Et bene ſuſpirans mente precata Deum eſt.

O

Aſt ego quid referam, ingenti tua funera Pompa
Portant te Reges ſuppoſitis humeris.
Summus et Antiſtes ſummittit terga feretro,
Eſtque frequens cunctis ſedula Turba uijs.
Ecquid cōmemorē languentia corpora ad Vrnam,
Omne grauis morbi depoſuiſſe genus?
Ergò, qui terris aurum, nitidoſque Lapillos
Spernis, pauperiem qui toleras inopem.
Qui vili ſimilis famulo, pannoſus oberras,
Atque domi, tanquam viuis in exilio.
Qui cælo aſcitus, Stellas, & Sidera calcans,
Aetheris è ſummo deſpicis omne ſolum.
Inter permiſtus Diuos, qui lætus in omne
Aeuum, Diuino Lumine perfrueris.
Romulidū ſplendor, noſtræ quoque gloria Gentis,
Cui fument larga thura Sabæa manu.
Cui tua ſolennis, redeat quum Sacra quotannis,
Feſta dies, Natis ſit celebranda meis.
Tu precor, occultas nobis da vincere pugnas
Eumenidum, furias & ſuperare graueis.
Dà uanas hominum curas, dà ſpernere faſtus,
Et Mentem uarijs ſoluere criminibus.

EXCVSATIO AD SVPEROS:

ET NEAPOLITANI. SITVS DESCRIPTIO.

HAEC pauca, ô Superi, ad ueſtræ præconia laudis
Concinui, à magno Vate petendus honos.
Parcite, inæquali cecinit ſi carmine Muſa,
Mæonijs fuerant illa canenda modis.
Nos ſumus ad molleis Elegos, facileiſq. Camœnas
Aſſueti, & tenui nectere fronde comas.
Non dum Parnaſſi, geminos conſcendere Montes
Auſus ſum, aut Cyrrhæ mox habitare Nemus.
Me tenet aprica celeber CAPIMONTIVS aura,
Meque ſalûbris alit Collis, & uſque fouet.
Vnde meæ ſpecto Patriæ noua mœnia, celſas
Arces, curuatis altaque Templa tholis.
Atque Mare aduerſum; diſſectas Molibus undas;
Quæque offert Nautis lumina grata Pharon.
Delicijs natam Megarim, & Platamonis amica
Littora, quæque ſonant fluctibus antra vagis.
Hinc Euplea, hinc Luculli Monimenta videntur,
Quem propè ſunt ædes Rotæ, & amœnus ager.
Rotæ, cui Plectrũ Phœbus, Citharamq; ſonoram,
Dum canit, Aonias cuique miniſtrat aquas.
Hinc felix eſt Aegla ſuo celebrata Poetæ,
Quæ meritò Decima eſt addita Muſa Nouem.

Muſa ſui vatis fleat ægra vt funus amatæ
Coniugis, & lacrimis affluat vſque pijs.
Plura quoque hîc ſpecto nemoroſa Palatia, multa
Pauſilypi dextro prædia culta ſinu.
Quem ſuper elata Diuini in vertice Erêmi
Viſitur Arx, duris horrida militibus.
Verticis à tergo, Sacrum Antiniana receſſum
Seruat adhuc Vati candida Nympha ſuo.
Hoc celſo in Monte, & protento Colle virenti,
Cernere conſpicui eſt plurima rura ſoli.
Eſt Hermîtis, amans pictas captare Volûcres,
Quam colit hinc Auceps, quam cupit Aucupiũ.
Inde ſuburbana eſt & Olympias; eſt Conicle,
Retibus, & curſu docta agitare feras.
Butîne, fœcunda hedis, ac munere Bacchi;
Multo hîc Formelli eſt iugere Diua potens,
Hîc Seruatoris CHRISTI ſpecula alta Sacelli
Cernitur, eſt votis quæ ſatis apta pijs.
Cætera perſpicui Montis lòca amœna relinquo,
Non tenuis calamus connumerare valet.
Sebethi à læua, præcinctas frondes ſaligna,
Tyrrheno Nymphas littore cæruleas,
Et iuuat herboſæ campos ſpectare Paludis,
Quos Olitor lymphis irrigat aſſiduis.
Hæc herbas tibi perpetuò dat terra uirenteis
Parthenope, menſas explet & illa tuas,

Non procul aerio conſurgit monte Veſeuus,
Inſignis raro Palmite Pampineo.
Herculis hîc Vrbes Steterant, Stabiæque ſalûbres,
Quas Pomona colit, quas Venus ipſa tenet.
Surrenti apparent Scopuli, templumque Mineruæ,
Quæ loca Sirenas, concelebraſſe ferunt.
Surrenti Sacræ cuius Paueſius Arci
Præſidet Antiſtes, Pontificumque decus.
Hinc freta Athenæũ claudens, hinc Pauſilypuſq;,
Et Capreæ ad fauces, Theleboumque domus.
Cratêra undoſum faciunt, ſpumiſque nitentem,
Et reddunt oculis grata Theatra meis.
Floridus hæc noſter contrà uidet omnia Collis,
Curo ego ubi manibus conſita rura meis.
Matronæ eximiæ Capimontij ubi culta uidentur
Arua Bonifaciæ, ac Regia, & ampla domus.
Hãc veneror, præſtãs animi eſt, prudenſq; Virago,
Et ſecli & Patriæ Fama, decuſque ſuæ.
Hîc vbi pulchra viret gelidis Arcelia lymphis,
Baccho vber, pomis diues & Alcinoi.
Eſt quoq. Minadôa hîc, Domino quæ mœret adem
Quo ius conſulere, aut dicere nemo prior. (pto,
Hinc Nolam aſpicies veterẽ, hinc & Metaleonem,
Et pingues Clanius quos rigat amnis agros.
Caudinas fauces, Sarraſtes, alta Tifâta,
Et quicquid pulchri eſt proſpicis inde ſoli.

Hîc Phœbus mihi ſæpe fauet, doctæque Sorores,
Quæ præbent ſtudijs otia grata meis.
Cæleſti expecto afflatu, ut mihi carmina dictet
CALLIOPE, & Lauro uinciat illa caput.
Sublime vt poſſim incœptis ſubtexere chartis
Carmen, & inſigni Vos ceciniſſe lyra.
Inde alios animi optatos depromere fœtus,
Et clara Herois condere ſcripta modis.
Tunc potero nigri peruincere fata Sepulchri,
Et Famæ æternum conſuluiſſe meæ.
Quam ſi fortè Sacri prohibent me quærere Vates,
Et Sancta CHRISTI Relligione vetor.
Et ſcripta, & ſcribenda, noui Muſæque labores,
Et cuncta Aeterno ſint operata Deo.

FINIS.

ROMÆ
Ex Officina Vincentij Luchini.
M. D. LXV.

Cum licentia Superiorum.

Errores à Librarijs commiſſi, Et animaduerſiones quædam, quæ ſic (vt infra) corriguntur.

Fol.	Pag.	Ver.	Delenda.	Reponenda.
Fol. 1.	Pag. 2.	ver. 18.	Hos circum Mundi	Se circum hos Mundi
Fol. 3.	2.	8.	Hinc phiſon ad Praſios, hinc Gion ad Pharios.	
				Ad Praſios Phiſon, ad Phariosq́. Gion.
Fol. 5.	1.	22.	Quiq́. honor eſt	Qui decus eſt
Fol. eo.	2.	13.	quæ tam ſolertia ?	quæ nam ſolertia ?
Fol. 7.	2.	11.	miratus ſergere	ſurgere
Fol. 8.	1.	9.	& Mugil, & tenuis	& Mugil, tenuis
Fol. eo.	ea.	23.	Nautiſon.	Nautilos
Fol. 9.	1.	8.	Cruſtumia	Cruſtumina.
Fol. eo.	2.	25.	Arcanum ingens, ac Diuinum pangere verbum	
			forſan tibi, lector, magis placebit	Arcanum Diuinum ingens, nunc pangere verbum
Fol. 11.	1.	4.	Te fatur, varijs	Fatur, te varijs
Fol. eo.	2.	6.	Vt fugiendum ſit	Vt fugiant homines
Fol. 14.	2.	21.	me aſſerere Cælo,	me âſſere Cælo,
Et in ſequenti ver.			ſiderosq́. Patres.	Sidereosq́. Patres.
Fol. 15.	1.	14.	irradiatq́. Polum	irradiatq́. Polo.
Fol. eo.	2.	9.	Illa parere	illa patere
Fol. eo.	ea.	21.	ſublimis quàm facta ſolo	ſublimis quàm ſurgis humo,
Fol. 16.	2.	1.	Hinc ego te Cælo, & terris Regina potentem,	
			fortaſſe ſic melius.	Hinc ego te Cælo Dominam, terrisq́. Potentē,
Fol. 17.	2.	22.	caſtos aſpera Zona ſinus.	& ſi fortè mauis, repone. Caſtum Zona ſeuera latus.
Fol. 18.	2.	12.	Arabicam	Arabiam
Fol. 20.	1.	14.	Præſtita cui mentis.	ſic melius. Et data cui mentis
Fol. 21.	1.	8.	Mœonij	Mæonij
Fol. eo.	2.	10.	ſat per ſe	forſitan magis placebit. ſat præ ſe
Fol. eo.	2.	19.	Et queis Medoaci, paret queis flumen & Olli,	ſi fortè mauis dic Et queis Medoaci, queis Olli flumina parent,
Fol. 22.	2.	24.	condita Rege,	Regi,
Fol. 25.	1.	9.	feltiq́. colonum,	Lætiq́. colonum,
Fol. eo.	1.	13.	ſuperſint,	ſuperſunt,
Fol. 26.	2.	26.	Deliolum Myrtos, det Cyprion atq. paluſtrem Leucogis,	ſic melius. Deliolum Myrtos, Xiphion det & ipſa paluſtre Leucopetra,
Fol. 27.	1.	18.	Ediſcis tyro	Ediſcis tiro
Fol. eo.	ea.	23.	ſis mutulus, vt Bos,	ſis mutus, vti Bos,
Fol. eo.	2.	10.	Accincto,	Accinctus,
Fol. eo.	ea.	13.	exagitate	forſan melius. exagitâre

Fol. 28. 2. 5. cunctisq. cunctisq.
Fol. 30. 1. 8. ſacta canant. facta canant.
Fol. eo. 2. 4. Atq. dabit votis melius. Et dederit votis
Fol. 31. 1. Titulus qui dicere debuerat Ad D. Iannuarium, dicit in D. Lucianum
Fol. eo. ea. 18. Et Marrucino Et Præcutino
Fol. 32. 2. 3. Dux indite indyte
Fol. eo. ea. 28. in aliquibus Folijs legitur
Duſtinat in ferrum, Repone Deſtinat
Fol. 34. 2. Quem ſuperuectant Quem Pij vectant
Fol. 35. 1. Da præcor Da precor, sine æ, & idem error fecit librarius
in eod. verbo Fol 47. p. 1. ver. 15.
Fol. 39. 1. locuplexque locuplesque
Fol. 41. 1. 21. itum etiam eſt Repone vel itum eſt
Fol. 42. 1. Hymnus qui dicit ad D. Euphrèmum Lib. IIII. repone lib. III.
Fol. 43. 1. 11. fluxa cruoris,
Qui ſanat, inſitis hauriat æger aquis
Repone
Qui ora cruore,
Quiſque vadis hauſtus tetra fluenta leuas.

Siqua alia fortè fuerint, quæ (vt opinor)
leuiora erunt, æquus, & diligens
lector facile poterit
corrigere.